DE
ANTIQUIS ITALIAE
INCOLIS.

SCRIPSIT

Dr. *GUST. GUIL. HENR. CURTIUS,*

GYMNASII GRYPISVALDENSIS CONRECTOR.

PARS PRIOR.

GRYPISVALDIAE,

SUMPTIBUS ERNESTI MAURITII.

MDCCCXXIX.

Nos, qui sequimur probabilia, nec ultra quam id, quod verisimile occurrerit, progredi possumus, et refellere sine pertinacia et refelli sine iracundia parati sumus. *Cic. Tuscull. Disputt.* L. II, c. 2. —

PRAEFATIO.

Placuit, hasce pagellas totius operis quasi praenuntias atque specimen quoddam praemittere, ut et, quid de instituto meo judicarent viri docti, cognoscerem, et, num probabili ratione in consilio, quod inii, exsequendo, ex eorum sententia versatus essem, edocerer. Quanquam quod ad institutum ipsum attinet vix dubito, quin futurum sit, ut viris antiquitatis studiosis haud improbetur. Neminem enim facile inventum iri existimo, qui *Niebuhrii* fautor tam inepte sit, ut quemvis acta agere dicat, qui post laborem, quem Vir ille summus in hoc argumento tractando atque retractando consumpsit, in eadem re operam collocare instituat. Sunt illae *Niebuhrianae* disputationes egregiae atque omni laude dignissimae; concedo et ex animi sententia concedo. Nam nemo unus me magis admirari potest Viri illius vel ingenium divinum, vel singularem et plane eximiam doctrinam, meque longius abesse, ut, quam quum omnibus immortalibus suis scriptis, tum vero hac de *Italia antiqua* commentatione meritus est, veram laudem illi detrahat. Attamen non minus ad-

mirandi modum excedere, quam falsam ei affingere laudem mihi viderer, si contenderem, illius laboribus rem ita esse absolutam, ut omnino omnis quaerendi ac disputandi materia quasi exhausta esset. Et quemcunque, qui, qualis hujus argumenti vera sit indoles atque natura, perspectum habet, et hoc mihi esse assensurum spero et concessurum, unius viri, quamvis mentis acumine pariter atque eruditionis copia excellentissimi, opera et labore hanc quaestionem ad exitum perduci non posse. — Illud autem eo magis dubium mihi videtur, quo minus me et ab ingenio instructum video et a scientia, num ego is sim, quem aliquid — etiamsi non multum sit — allaturum esse sperari possit ad rem, quae tot difficultatibus implicita sit, explicandam, quaeque in tantis tenebris versetur, illustrandam. Cupio igitur virorum, penes quos harum rerum judicium est, sententiis certior fieri, num materiam, meis, qui scribo, aequam viribus sumpserim, an onus susceperim, cui ferendo impares sint. Sic enim habeo statutum cum animo atque deliberatum, simulatque horum virorum suffragiis probari meum laborem cognovero, toti operi perficiendo manus admovere; sin minus, abjecto onere, quod ferre recusent humeri, aliud iis imponere, quod valeant, omissoque labore, quem nec aliis utilitatem, nec

mihi gratiam ac voluptatem laturum esse videam, alii, ex quo ut ad alios fructus sic ad me laudem redundaturam esse exspectari possit, tempus ac vires dicare. Quare, quos supra significavi, viros etiam rogatos volo, ut, quid de me meisque conatibus judicent, libere velint pronuntiare. Quod judicium quo clementius fieret, possem equidem sane non pauca afferre, quae ut satis viderentur idonea ad excusanda, quae manca et imperfecta in hac scriptionis parte deprehendentur, ita spem facerent, meliores maturioresque fore prioribus posterioris industriae meae fruges. Verum satius duco, haec praetermittere. Quid enim ad ea responderi possit, mihi minime obscurum est. Si Tu — et potest responderi et mihi sine dubio responderetur — si Tu minus paratus eras ad scribendum, aut omnino abjiciendum. Tibi erat consilium libri conficiendi, aut in aliud tempus magis opportunum differendum; nec satis tutum, judicium confirmare ad ea, quae, dum exspectantur, incerta sunt, sed judicandum ex iis, quae, praesentia et in conspectu posita, fallere nequeunt. —

De ratione ac via, quam in componendo hoc scripto sequutus sum, non longa opus est expositione. Neminem enim non visurum esse puto, quas supra jam laudavi, *Niebuhrii* de Italia antiqua quaestiones doctissimas atque

subtilissimas, ut in *altera* editione *) libri, qui inscribitur: Römische Geschichte von *B. G. Niebuhr.* I. Theil. Berlin 1827. p. 7 sqq. leguntur, iis, quae ego de eadem re commentatus sum, quasi fundamenti loco subjectas esse. Quum tamen non observationes quasdam ad hunc librum, sed peculiare scriptum exarare in animo esset, ne ea quidem, ad quae et consentirem cum V. Cl., nec quod adderem in promptu esset, plane omittenda erant; sed, paucis haec complexus, ibi tantum, ubi aut discedendum mihi esse ab illo censerem, aut haberem, quae ad sententiam ab illo propositam, mihique probatam vel magis confirmandam, vel uberius explicandam idonea esse viderentur, fusius atque subtilius disputavi. Quod autem locos veterum auctorum, et quae *Niebuhrianae* et quae meae sententiae firmamenta sunt, ubique fere ad verbum in annotationes transcriptos dedi, hac de re ne in virorum doctorum reprehensionem incurram, minime vereor. Mihi enim magno litteris emolumento fore persuasissimum est, si, qui de singulis historiae capitibus quaestiones accuratas habent, idem facerent omnes, ut non solum relegarent lectores ad scriptores, qui plerumque in manibus non

*) *Tertiam* libri editionem tum demum mihi innotuisse, quum commentatio mea jam typis exscribi coepta esset, lectores admonere necesse habeo.

sunt et, si vel maxime sunt, fere tamen non evolvuntur, sed ad decreta et placita sua auctorum locos, quibus nituntur vel niti dicuntur, adjungerent, ut cuivis judicandi facultas esset, num probandi vis iis inesset, an deesset. —

Quum jam in eo essem, ut schedulas typographo excudendas mitterem, communicatus est mecum a V. Ill. *Schoemanno*, cujus eruditioni, quae summa in eo est, par est humanitas, libellus *C. O. Muelleri*, Prof. Gotting. Cl., qui, conscriptus de *Macedonibus*, *) ad id tempus notitiam meam fugerat. Ut magno mihi gaudio fuisse profiteor, videre, in constituendis sedibus singulorum populorum, qui Macedoniam antiquitus incoluisse traduntur, ubique fere cum viro doctissimo me concinere, ita minime gratum mihi fuit, cognoscere opinionum de genere et origine antiquorum Macedoniae incolarum dissensione nos discrepare. Idque eo minus gratum mihi fuit, quod — dicam enim, quod res est — liber *Muellerianus* semel atque raptim lectus in eam me adduxerat opinionem, ut illum me veriora hisce in rebus vidisse putarem, itaque fore viderem, ut, si liber iterum lectus et diligenter excussus hanc sententiam confirmasset, posterior disputatio-

---

*) V. Ueber die Wohnsitze, die Abstammung und die ältere Geschichte des Makedonischen Volks. Eine ethnographische Untersuchung von *K. O. Müller*. Berlin 1825. 8.

nis meae pars tota corrueret. At, quanquam vere de me praedicare possum, me eo animo ad iteratam libri lectionem accessisse, ut nihil dubitarem, a decretis meis potius deficere, quam a veritate, tamen res secus evenit, atque exspectaveram. Nam quo diligentius sententiam *Muellerianam* explorarem, eo magis a vero alienam esse mihi persuasi. Itaque primum visum mihi est, huic libello epimetrum addere, quo et illam refellere et meam uberius exponere, expositamque novis argumentis stabilire susciperem. Tum vero, quum morbo graviori implicitus, fieri non posse intelligerem, ut ad id tempus, quo libellus typis exscriptus esset, quaestionem absolverem, mutata sententia, argumentum hoc singulari scripto, propediem edendo, explicare apud animum constitui. Quare non iniqua me petere existimo, si lectores rogo, ut ne prius, quam hoc legerint, sententiam a me in medium prolatam, tamquam commentum, 'quod nulla dignum sit consideratione, rejiciant. —

Valete, Lectores benevoli, meisque studiis favete!

Commentationis

de

antiquis Italiae incolis

pars prior.

Caput I.

De variis terrae, quae postea Italia appellata est, nominibus.

§. 1.

Italiae, quae nunc dicitur, neque hoc, neque ullum aliud commune, quo tota terra appellaretur, antiquitus fuisse nomen satis videtur constare. Nam quae afferuntur totius terrae nomina, ea vel, ut, antiquis quidem temporibus, ipsum *Italiae* nomen, ad singulas tantum terrae partes pertinuisse, vel poëticas aevi posterioris appellationes esse demonstrari potest.

Terram, cui postea a *Romanis*, quo etiamnunc utimur, *Italia* nomen positum est, licet ab ipsa natura, quippe undique praeter eas partes, quas *Alpes* a reliqua Europa dividunt, mari circumfusa, ad unius quasi corporis speciem conjuncta sit, tamen non uno, quod omnes ejus partes complecteretur, nomine antiquissimis temporibus esse appellatam, sane non est, quod mireris, si reputes, populos iis ipsis temporibus eam incoluisse, qui, quum

nullo communis civitatis vinculo conjuncti copulatique essent, lingua, institutis, legibus inter se differebant. Ut igitur verisimile est, incolas ipsos singulis regionibus nomina ex suis ipsorum ducta indidisse, sic fieri vix potuit, quin *Graeci* ex nominibus, quae singulis populis, quos, quum primum in inferiori terrae parte sedes collocare coeperunt, oras maritimas tenere compertum habebant, tribuere consueverant, singulas terrae partes appellarent. Quo factum est, ut peninsulae, quae septentrionem versus *Pado*, occidentem versus *Macra* fluvio finitur, has propriis nominibus insignitas terras distinguerent: Οἰνωτρίαν Ἰταλίαν, Αὐσονίαν Ὀπικήν, (Ὀπικίαν), Τυῤῥηνίαν, Ὀμβρικήν, Ἰαπυγίαν. Terrae autem, quae a *Macra* fluvio ad *Rhodanum* et ultra pertinebat, quippe ab uno *Ligurum* (τῶν Λιγύων) populo habitatae, communc Λιγυστικῆς nomen attribuebant, *Venetos Illyridi* adnumerabant. Quam distinctionem etiam tum retinebant, quum jam mutatis terrarum incolis rerum conditioni apta et accommodata esse desierat. [1])

Non audiendus igitur, etiamsi sententia ejus per se minus esset inepta, *Dionysius*, qui tradit, ante *Herculis* tempora omnem, cui postea *Italia* nomen datum sit, terram a *Graecis Hesperiam* et *Ausoniam*, ab *indigenis Saturniam* esse appellatam [2]). Sed de his nominibus haec potius videntur esse statuenda.

Hesperiae nomen de *tota Italia* usurpari quidem, sed usurpari a *poëtis Latinis* ad exemplum poëtarum *Graecorum* deperditorum, quum in *Graecorum* scriptis, quae aetatem tulerint, rarissime legatur, *Niebuhrius* docuit. [4]). Proprie *Graeci* sub hoc nomine, ad originem ejus accommodate, omnes terras, quae occidentem versus a *Graecia* sitae erant, complectebantur, itaque *Italiae* et

Iberiae commune nomen erat; κατ' ἐξοχὴν autem de *Italia* dictum invenimus, ita ut, ubi huic vocabulo nihil adjectum sit, vel *Italiam cum Iberia* vel *Italiam solam* intellectam esse sumere possis, quum, sicubi de *Iberia sola* dicatur, epitheton aliquod ut „*ultima*“ addatur. [4])

Ausonia proprie usurpata est *terra ab Ausonibus habitata;* itaque quum *Ausones* primo parvam quandam, quae est circa *Cales* et *Beneventum* urbes, regionem tenerent, initio huic soli *Ausonia* nomen fuit; quum autem imperii finibus ulterius prolatis totam oram maris inferi, quae a *Tiberi* usque ad *Silarum* porrigitur, occupassent, omnis haec terra *Ausonia* sive *Opica* est vocata. Subactis deinde *Ausonibus* et omni fere eorum terra a *Samnitibus* capta, *Ausoniae* quoque, quae proprie vocatur, nomen in angustos iterum fines inclusum, relictum est ei soli regioni, quam *Ausones* ab alieno imperio liberi retinebant, id est *Auruncorum* terrae. [5]) Ob insignem autem potentiam ac gloriam, qua *Ausones*, quum *Latium*, *Campaniam* et *Samnii*, quod postea vocatum est, magnam partem tenerent, floruisse dicuntur, *Ausoniae* nomen, latiori potestate voci subjecta, etiam ultra fines *Ausonum* extensum et vel *de tota maris inferi ora,* vel, quod *Lycophronem* fecisse videmus, *de omni Italia, quae in meridiem vergit;* quin ab aevi posterioris scriptoribus de *omni Italia* usurpatum est. [6])

De *Oenotriae* nomine idem fere dicendum, quod de *Ausonia.* Quum primo de parte *Italiae*, de qua mox pluribus disserendum erit, dictum esset, posta poëtis in omnem terram tralatum est. [7]) De *Saturniae* nomine plane *Niebuhrianae* videtur esse assentiendum sententiae [8]), qui dubium esse docuit, an a veteribus *Latinis* ad significandam *mediae Italiae* partem aliquam, neque tamen accuratius, quam quod *Latium* continuerit, definiendam,

sit adhibitum; hoc solum sine ulla dubitatione affirmari posse, nunquam totam peninsulam hoc nomine esse appellatam [o]).

§. 2.

Italiae nomen non ab antiquissimis inde temporibus toti terrae, cui nunc attribuitur, appellandae esse adhibitum, sed parti tantum ejus et ei quidem fuisse, quae eadem *Oenotria* vocitata sit, scriptores veteres memoriae proditum reliquerunt. Iidemque auctores sunt, utrique nomini, angustissimis principio finibus incluso, quippe quod ad eam solam regionem pertinuerit, quae a *freto Siculo* ad *Napetinum sinum* atque *Scylleticum* porrigatur, mox latius patentem vim subjectam et de omni terra, quae a *Tarento* et *Silaro* fluvio in meridiem vergat, id est de omni, quam populi *Oenotriae* gentis tenuerint, usurpari coeptum esse [1]). Postea autem, et primum quidem circa tempora bellorum a *Pyrrho* in *Italia* gestorum, ambitum vocis magis etiam adauctum invenimus, omnesque fere peninsulae partes, quae a *Tiberi* in meridiem spectant, hoc nomine appellatas. Mox nomine etiam cum *Etruscis* et *Umbris* communicato, toti peninsulae, quae a septentrionibus *Apennino* monte et *Rubicone* fluvio finitur, inditum est. Qui usus apud *Romanos* a *aevum*

Augusteum obtinuit, ubi primum, *Gallia cisalpina* ad *Italiam* adjecta, fines hujus ad *Alpes* usque prolati sunt.

Italiae et *Oenotriae* nominum antiquis temporibus eandem vim fuisse, ita ut cui terrae, quam nunc *Italiam* vocamus, parti a *Graecis Oenotriae* nomen inditum, eidem eique soli *Italiae* sit tributum, una et consentiens veterum scriptorum vox est [2]). Iidemque docent, ut *Oenotriae*, angustioribus primo finibus circumscriptae, termini prolati sint, sic etiam *Italiae* ambitum crevisse. Primis enim temporibus eam solam regionem, quae ab isthmo sinuum *Napetini*, qui idem ab *Aristotele Lameticus*, vulgo *Hipponiates* dicitur [3]), et *Scylletici* sive *Scyletini* initium capiat et ad fretum *Siculum* pertineat, *Oenotriae* eandemque *Italiae* nomen tenuisse, *Antiochus* auctor est. [4]) Ab eodem proditum esse scimus, mox etiam cum *Chonibus* sive *Chaonibus*, [5]) populo, qui extra isthmum illum terram usque ad regionem *Metaponticam* et *Sireniticam*, id est ad *Posidoniam* et *sinum Paestanum* vel ad *Silarum* fluvium coluerit, quod *Oenotrii* generis fuerint, *Oenotrorum* vel *Italorum* nomen communicari coeptum et huic quoque terrae, cui ad ea tempora *Chone* [6]) nomen fuerit, *Oenotriae* vel *Italiae*, itaque omnibus *Oenotriae* gentis partibus, omnique terrae ab his habitatae commune factum esse nomen [7]). — Quare autem idem *Antiochus* *Italiam aevi sui*, vel eam, cujus οἰκισμόν scripturus erat, constituto termino ejus, non, sicuti antea, *Paestano sinu*, sed *Lao* flumine, [8]) aliis iisque angustioribus finibus terminaverit, ratio in promtu est, neque cuiquam mirum videri poterit, qui reputaverit, *Antiochum* nisi *Italiae*

historiam litterarum monumentis consignare noluisse, tum autem, quum ad librum componendum accingeretur, hanc, quae *Lao* et *Silaro* fluminibus continetur, regionem, a *Lucanis* subactam, jam *Italiae* partem esse desiisse.

Tantum autem abfuit, ut *Lucanorum* armis ulterius prolatis, totaque *Oenotria* vel *Italia* ad *fretum Siculum* usque in eorum potestatem redacta, ac novo deinde *Bruttiorum* populo orto, *Italiae* nomen, plane evanesceret, ut diu post *Antiochi* tempora, quam illi, eandem aliis *Graecis* scriptoribus *Italiam* usurpatam esse terram inveniamus. Exstant hujus nominis vestigia, a *Niebuhrio* diligenter collecta [9]), ex quibus jure colligi posse videtur, *Graecos* ad a. Christ. ccc. ut *Oenotriae* sic *Italiae* nomen huic terrae, quae a *Metapontio* ac *Lao* flumine oritur, tribuere solitos fuisse; nec mirum, quum consentaneum sit, *Graecos scriptores* nomen, quo eum, cui accuratiorem et pleniorem terrae cognitionem acceptam referebant, usum esse videbant, quodque a *Graecis*, oras *Italicas* incolentibus, servatum esse verisimile est, etiam tum terrae posuisse, quum ea ab indigenis aliis nominibus nuncupabatur. Hoc vero est, quod mireris, qui factum sit, ut insequentibus temporibus etiam latius patens potestas voci *Italiae* subjecta sit, ita ut circa vel paulo post bella a *Pyrrho* in *Italia* gesta hoc nomen ad omnes, quae fere a *Tiberi* fluvio et *agro Piceno* in meridiem spectant, terras communiter significandas nec a solis *Graecis scriptoribus*, sed ab *ipsis terrae incolis* adhibitum esse verisimile sit. Hoc certe constare videtur, populos, qui bello *Marsico* conjuncta arma *Romanis* intulisse feruntur, omnes *sibi Italis* vel *Italicis*, *terrae*, quam tenebant, *Italiae*, *urbi*, quam foederis caput constituerant, *Italicae* nomen tribuisse [10]). Quae *Niebuhrius* ad hanc rem illustrandam attulit, ea satis quidem idonea videntur,

quibus explicetur, quare commune omnes hi populi sibi assumpserint nomen, parum, quare *Italiae* potissimum hoc esse voluerint. Quae quidem res haud obscura et ad intelligendum facilis est, si a vero non abhorret sententia, quam infra fusius expositam argumentis confirmabimus: fuisse *Italorum* nomen commune ac vernaculum non solum eorum populorum, qui *Oenotriam*, sed etiam, qui oram *maris Tyrrheni*, fortasse etiam, qui *mediterranea peninsulae inferioris loca* antiquis temporibus colerent. Nam quamquam tum, quum primum nomen *Italiae* de majori illa, quam supra accuratius definivimus, terrae parte usurpatum invenitur, jam diu regiones illae aliorum populorum, *Sabellici* potissimum generis, imperio parebant, veteres incolae tamen maximam partem non ejecti, sed imperio illorum subjecti, cum singulis in unius populi corpus coaluerant. Servata igitur pristinae conditionis memoria effecit, ut, quum tempore supra commemorato communi quodam vinculo conjungerentur, *Italiae* nomen, quod antiquitus magnae vel maximae terrarum, quas tenebant, partis commune fuerat, denuo revocaretur.

Cetera nota sunt, nec uberiori expositione indigent: *Romanos* deinde hoc nomine etiam in *Etruscos, Umbros*, alios tralato, ad totam, quae imperio eorum subjecta erat, terram uno nomine significandam, ita usos esse, ut, *Italia Rubicone* fluvio atque *Apennino* monte finita, eam partem, quae oriens ab his vergit ad septentriones, *Galliae cisalpinae* nomine ab *Italia* etiamtum secernerent, quum incolae ejus jam perdomiti et sub imperium eorum redacti erant. Itaque *Polybius* [11]), qui de *Graecis scriptoribus*, quod sciamus, primus, totam terram, quae *Alpibus* ac *maribus Ionio* et *Hadriatico, Siculo* et *Tyrrheno* continetur, *Italiae* nomine complectitur, Romanorum more usuque loquendi, qui illis temporibus obtinebat, neglecto,

naturam is ducem sequutus esse putandus est. *Romanos* enim, nisi ab aevo *Augusti*, qui primus *Galliam cisalpinam* quoque ad *Italiam* in XI. partes descriptam adjunxit, hoc facere non solitos fuisse compertum habemus.

§. 3.

Quod ad *explicandam nominis originem* attinet, duplicem veteres scriptores viam ingressos esse videmus. Sunt enim, qui putent, a vocabulo quodam *italos, itulos, vitulus,* quod *bovem* significaverit, vocem esse derivandam; reperiuntur etiam, qui ab *Italo,* rege ac legislatore *Oenotrorum* ducant. Communicatum enim primum cum populo regium nomen deinde terrae quoque ab hoc habitatae esse inditum.

Quodsi jam, unde ductum sit *Italiae* nomen quaeramus, antequam nostram de hac re sententiam proponamus, quid *veteres scriptores* tradiderint, erit docendum. Quos quidem in diversas sententias discedere videmus. *Alii* enim, quorum agmen, quod equidem sciam, ducit *Hellanicus Lesbius* [1]) a voce vel *vernacula,* vel *Tyrrhena,* vel, quod idem videtur sonare, *veteris Graecae linguae,* quae *bovem* significaverit, quamque alii aliter vel *italos*, vel *itulos*, vel *vitulus* pronuntiatam esse dicunt, nomen derivandum esse censent. Nec omnium tamen, quibus haec ratio probatur, plane eadem sententia. Antiquiores enim, (et ex recentioribus, qui horum placita referunt,) bovem a *grege Herculis,* quum *Geryonis* tauros per hanc terram ageret, aberrantem terrae hoc nomine notandae ansam

praebuisse censent [2]); recentiores contra, utpote quibus commenticia ista, quae de *Hercule* narrentur, nec ulla fide digna esse persuasum sit, *boum et praestantiam* et *multitudinem*, qua terra excelluerit, nominis causam fuisse opinantur [3]). *Alii* duce, ut videtur, *Antiocho Syracusano* [4]) et populi — *Italorum* — et terrae — *Italiae* — nominis originem referunt ad *Italum* quendam, quem regem eundemque legislatorem *Oenotrorum* fuisse perhibent [5]). Et *Antiocho* placuisse videtur, *Italum* hunc primis *Oenotris*, qui proprie dicuntur, auctorem fuisse ut commutandae consuetudinis ita nominis, cujus quidem deinde etiam *Chones* ob generis communitatem factos esse participes. Mutatis autem *populorum* nominibus, *terris* quoque nova indita esse nomina, ducta, ut priora ex pristinis habitatorum, sic haec ex novis, itaque loco *Oenotriae* ac *Chones* nominum, vel, ut verius dicam, retentis illis juxta usurpari coeptum esse *Italiae* nomen.

§. 4.

Altera ratio omnino rejicienda, altera eatenus probanda videtur esse, quatenus *terrae* nomen ab *incolis* ducitur; *Italia* igitur ab *Italis*. Unde hoc derivandum sit, sciri non potest. Haec tamen affirmare posse mihi videor: *Italorum* nomen, unum et idem atque *Siculorum*, nec serius ortum est, quam *Oenotrorum*, nec horum fuit peculiare, sed vernaculum tum ejus populi, quem *Graeci Oenotros*, tum ejus, quem *Tyrrhenos* appellare consueverant. Ex quo fit, ut antiquitus non soli ei

terrae, quam *Oenotri* colebant, *Italiae* nomen esset, sed magnae peninsulae parti, id est *maris inferi oris ab Arno fluvio ad fretum Siculum, item inferioris terrae regionibus mediterraneis.* Evanuit autem primum in iis regionibus, quas *Tyrrheni,* servatum est diutissime in iis, quas *Oenotri* incolebant; itaque factum est, ut *Graeci,* qui in *Sicilia* habitabant, et in his *Antiochus* ille *Syracusanus,* hanc solam hoc nomen habuisse opinarentur.

Jam si ad utramque nominis *Italiae* explicandi rationem dijudicandam accedamus, priorem prorsus esse rejiciendam facile intelligitur. Quis enim est, qui non videat, *etymologicum Graecorum commentum* esse, ejusdem generis ut reliqua fere omnia, quae a Graecis atque Romanis prolata sunt, ubi, unde ducta verba essent, exquirere instituerunt, ortum id ex similitudine, quae inter vocem antiqui sermonis *Graeci* vel *Tyrrheni*, id est „*Pelasgici*" „*ἰταλός*" et *Latinorum* „*vitulus*" atque inter vocem „*Italia*" intercedit. Cui accedit, quod verissime monuit *Niebuhrius* [1]), *terrarum nomina* apud veteres populos, sicuti apud majores nostros, si ab una *Aegypto* discesseris, omnia ducta esse ab *incolarum nominibus.* Altera ratio igitur eatenus probanda, quatenus *nomen Italiae ab Italis* derivatur. At si *Italis* hoc nomen ab *Italo* quodam factum esse docetur, hoc quidem fit ex more antiquitatis usitatissimo populorum origines et nomina ad singulos homines referendi; sed non major fides habenda est iis, qui *Italum* regem populo nomen fecisse

tradunt, quam qui *Doros* a *Doro* quodam, *Acarnanes* ab *Acarnane* ortos vel saltem appellatos esse docent. Haec autem ita intelligi nolim, ut narrationem de *Italo* rege pro mero *Graecorum* commento habere existimer. Equidem hoc tantum abest ut contenderim, ut verisimillimum mihi videatur, indigenas ipsos *Italum* quendam sive *Vitalum* sive *Vitellium* generis auctorem coluisse. Hoc tantum dico, ipsam rem dignam non esse, cui fides habeatur, nec de origine nominis quicquam certi affirmari posse, et praeterea hoc negaverim, rem ita se habere, ut ab *Antiocho* referatur, cujus sententiam supra habes expositam. Non solum enim affirmaverim nomina: „*Italus* et *Italia*" esse antiquiora, quam: „*Oenotrus* et *Oenotria*", sed eo usque progredi non dubito, ut haec nomina sibi et terrae a se habitatae *populum ipsum* numquam, sed *solos Graecos* utrique attribuisse [2]) contendam, vel, si concedam, populum ipsum his nominibus usum esse, usum esse iis a *Graecis* acceptis. Illa enim — *Italus* et *Italia* — vel eadem, ut mox videbimus, diverso quodam modo formata, *vernacula* eademque *antiquissima* fuisse nec solum *Oenotrorum*, qui a *Graecis* dicuntur, sed etiam *Tyrrhenorum*, qui ab iisdem vocantur, persuasissimum mihi est. Itaque si a vero non alienam esse hanc sententiam poterit persuaderi, efficietur, ut, quum infra demonstraturus sim, maris *Tyrrheni* oram, quae ab *Arno* ad *Silarum* usque porrigitur, item *regiones peninsulae mediterraneas* populum eum tenuisse, quem *Graecis Tyrrhenos* vocitare moris erat, antiquissimis jam temporibus nomen „*Italia*" proprium fuerit non parvae ejus terrae partis, cui toti postea factum est. Ad comprobandam illam sententiam autem, hoc loco, quum, quod infra demonstraturi simus, *Oenotros* et *Tyrrhenos* ad unam *gentem, Pelasgicam,* pertinuisse, hic sumere liceat, argumentis idoneis efficiatur necesse

erit, eos non duas ejusdem gentis partes, sed *unam eandemque nationem* fuisse. Quod ut intelligatur, primum et ante omnia tenendum est, quod item infra fusius explicabitur, *Tyrrhenos* illos, qui dicuntur, non diversos fuisse a *Siculis*, sed nomina „*Tyrrhenus*" et „*Siculus*" unius ejusdemque populi fuisse, ita ut, quum *Siculos* eandem fuisse nationem atque *Italos* probaverimus, idem de *Tyrrhenis* effectum sit. Quod autem ad illam rem attinet, „*Italus*" et „*Siculus*" varias tantum ejusdem nominis species habendas esse, persuasum mihi est. Non enim videtur negari posse, quibus *Italis* nomen fuerit, eosdem antiquitus *Vitalos vel Vitelos* vel, si mavis, *Vitelios, Vitellios* fuisse nuncupatos, quum non solum probabili conjectura, sed ipsis veterum scriptorum testimoniis evinci possit, terrae, quam obtinuerint, praeter *Italiae* nomen, etiam *Vitalia, Vitelia* vel *Vitelium* fuisse. Quae quum ita sint, a vero minime aberrare mihi videor, si conjiciam, voces „*Italus*" et „*Italia*" principio *digamma* habuisse, quod dicitur *Aeolicum*. In vulgus enim notum est, hoc progrediente tempore vel in alias litteras et apud *Latinos* praecipue in V litteram transiisse, vel omnino esse omissum. Itaque ex *Ϝιταλός* et *Ϝιταλία* tum *Vitalus* et *Vitalia*, tum *Italus* et *Italia* orta. — At vero, dicat fortasse aliquis, ut vera haec sint, quid ad rem faciunt, et qui ex his efficitur, ut, quae vel maxime diversa esse videantur, eadem sint *Italorum* et *Siculorum* nomina? — Licet videantur, non sunt tamen haec aliena a proposito nostro, sed faciunt omnino ad sententiam, quam in medium protulimus, probandam. Nam quum satis constet, *spiritum asperum* multorum nominum *Graecorum* conversum esse in *Latinorum* S litteram, quumque verissimum, quod de *Digammate Aeolico* doceri possit, hoc esse videatur, fuisse illud *spiritum*, ut ita dicam, *asperri-*

mum, per se jam verisimile videatur necesse est, hunc quoque spiritum in eandem *Latinorum* litteram converti potuisse; sed ad confirmandam hanc rem etiam idoneum exemplum in *Graecorum* pronomine personali tertiae, quam dicunt, personae, comparato cum *Latino* invenisse mihi videor. Quum praeterea *Casaubonus* ad *Strabonem* [4]) docuerit, multis nominibus propriis Veteres modo sibilum, modo aspirationem praefixisse, nec desint omnino exempla, ex quibus etiam nominibus quae non asperum, sed lenem spiritum haberent, praefixum esse nonnunquam S litteram appareat [5]), nihil jam ad sententiam nostram probandam reliquum est, quam ut ostendatur, etiam T et K litteras a Veteribus nonnunquam esse permutatas; nam variae vocum terminationes, quominus ei assensum praebeamus, impedimento esse non possunt. Illud autem non prorsus insolitum fuisse, docuit *Niebuhrius,* ad quem et ad *Ebertum,* quum plura hujus permutationis exempla nobis non suppetant, lectores delegamus [6]). —

Ne tamen ullum dubium relinquatur, num revera *Siculi* et *Itali* unus idemque populus fuerit, afferamus veterum auctorum locos, quibus tum *Italorum* ibi mentio fit, ubi *Siculos* habitasse certo scimus, tum *Siculis* sedes in iis regionibus assignantur, quos *Italos* tenuisse compertum habemus. Sic *Antiochus* apud *Strabonem* prodit, omnem, quae sit circa Rhegium, terram antiquitus *Siculos* coluisse [7]). *Thucydides* ad suum aevum in iis regionibus, quas, Antiocho teste, qui primi et proprie *Itali* dicti sunt, incolebant, *Siculorum* quasdam reliquias superfuisse auctor est [8]); non solum *Oenotrorum* rex *Italus,* sed etiam eorum, qui circa *Tiberim* fluvium habitasse dicuntur, *Siculorum* commemoratur [9]). —

Jam, si his argumentis adducti statuamus, *Oenotros* et *Tyrrhenos* unum fuisse populum, et sicuti *Italorum*

nomen utriusque populi, sic *Italiae* commune tuisse terrae, ab utroque habitatae, quaeritur, qui factum sit, ut *Antiochus solis Oenotris* et *Oenotriae* terrae haec nomina tribuerit. Quae quidem res non ita difficilis est ad explicandum. Primi, qui ad hanc *Italiae* partem appulerant, *Graeci* ob causam, quae supra allata est, terrae nomen *Οἰνωτρία*, itaque incolis *Οἰνωτροί* posuerant. Fieri tamen non potuit, quin qui posteris temporibus in his oris sedes collocarent, comperirent, incolis ipsis ea nomina prorsus esse ignota et longe alia esse, quae ipsi et sibi et terrae tribuerent nomina. Ut igitur probabile est, *Graecos*, retentis prioribus, quae a popularibus iis tradita erant, nominibus, vernacula quoque recepisse; ita ad veritatem accedere videtur, indigenas illa nomina a *Graecis* inventa non prorsus abnuisse, itaque duplex et terrae et populi nomen usu esse receptum. Quo factum est, ut *Antiochus*, quum, librum de hac terra compositurus, sciscitando cognovisset, tum duplex populo et terrae nomen esse, tum alterius nominis originem, ut vitae humanioris initia, ab ipsis indigenis referri ad *Italum* (*s. Vitellium* — v. supra) quendam, eam sibi informaret cogitationem, hunc *Italum* populo nominum *Oenotrorum* et *Oenotriae* in *Italorum* et *Italiae* commutandorum auctorem fuisse. — Quum autem *Oenotrium* nomen primum iis solis, qui ultimum *Italiae* angulum incolebant, datum et tum demum in *Chones* quoque translatum esset, quum *Graeci* utriusque populi commune genus esse comperissent, factum est, ut idem *Antiochus* sibi persuaderet, *Italicum* quoque nomen, natum apud illos, cum *Oenotrio* post temporis spatium interjectum ad hos *Chones* transiisse. Nec est, quod mireris, hoc ita factum esse, praesertim quum *Antiochum* verisimile sit omnino fugisse, quod *Oenotros* patriae suae finitimos praedicare de se audiebat, inter se in lucem

editum esse *Italum* illum, idem *Chones* gloriari, ut reliquas ejusdem gentis nationes omnes. — Neque hoc obscurum esse potest, quid sit, quod nulla omnino ab *Antiocho* mentio facta sit, olim *Italiae* et *Italorum* nomen etiam ultra *Silarum* fluvium ad *Arnum* usque pertinuisse. Nam haec terra tum, quum *Antiochus* scribebat, jam diu, nec semel incolas mutaverat; *Itali,* qui eam tenuerant, (vel si mavis *Tyrrheni s. Siculi*) antiquissimis jam temporibus vel ejecti vel subacti erant, ut infra docebitur. Itaque non mirum est, ad *Antiochi* notitiam omnino non pervenisse, hanc quoque terram antiquitus *Italiae* partem fuisse, quod de terra, quae inter *Silarum* et *Laum* fluvios sita est, ignorare non poterat, utpote quam non multo ante ejus aetatem *Lucani* invasissent.

Caput II.

De universa gente Pelasgica.

§. 5.

Omnium, qui de antiquis *Italiae* incolis disseruerunt, tum veterum scriptorum tum recentiorum una et consentiens vox est, e numero eorum, qui antiquitus hanc terram obtinuerint, fuisse populos gentis *Pelasgae*. Eosdem autem in partes abire vides diversissimas, quum quaeris, quaenam universae gentis fuerint origines, quas sedes antiquitus tenuerit, qua sorte sit usa etc. Quumque ex discrepantibus de universa gente placitis non minus diversae de singulis populis iisque, qui *Italiam* tenuisse dicuntur, oriantur necesse sit et re vera ortae sint, sequitur, ut quicunque accurate et diligenter in origines priscorum *Italiae* incolarum inquisiturus sit, ei eadem, quam jam veteres auctores ingressos esse videmus, via ingredienda et de *cuncta Pelasgorum gente* dis-

putatio sit instituenda. Quod quum mihi quoque, quippe illud argumentum tractaturo, faciendum esse viderem, tamen, quum idem et a proposito meo alienum et infinitum esse intelligerem, omnes omnium recentiorum scriptorum super hac re placita atque decreta excutere ac dijudicare, hanc mihi legem scripsi, ut, his, praeter unum *Niebuhrium* omnibus, neglectis, *) *solos scriptores veteres* auctores sequerer, ut, quid ex horum locis, studiose iis quidem conquisitis atque accurate inter se compositis, de *Pelasgis universis et singulis* efficeretur, nullis aliorum de hac re sententiis impeditus et praeoccupatus, ipse viderem. Jam, quae, hanc rationem sequutus, invenerim, exponam.

---

§. 6.

Et primum quidem proxime mihi ad veritatem videtur accedere, *Pelasgos non solum quasdem Helladis partes, sed omnem, cui postea hoc nomen inditum est, terram antiquissimis temporibus tenuisse,* tantum abest, ut iis assentiendum esse censeam, qui errones eos nescio quos fuisse, nec ullo loco certas sedes collocare potuisse, persuadere nobis cupiant.

Fuerunt inter veteres scriptores, qui *Pelasgos* unquam *populum fuisse et civitates constituisse* negarent, nedum magnam gentem, multarum nationum parentem, haberent. Fuisse eos mixtorum omnis generis hominum vagam quandam colluvionem, cui per totam Graeciam pariter ac per barbaras gentes erranti nusquam stabiles sedes constituere contigisset. Ex horum numero, quorum sententia quae refutetur non digna est, unde orta sit, infra demonstrabitur, quem *Strabo* [1]) excitat, *Ephorus* fuisse videtur.

Alii, quorum longe maximus est numerus, hanc quidem sententiam non probant, sed fuisse quondam *gentem Pelasgicam* eamque non parvam tradunt. Iidemque *Pelasgos* antiquissimis *Graeciae* incolis, adnumerandos esse docent [2]). Tamen nec omnem unquam eos tenuisse terram, nec, quas tenuerint ejus partes, eas omnes a principio obtinuisse, sed aliqua *Graeciae* parte, quam alii *Argos* [3]) esse dicunt, alii *Arcadiam* [4]), egressos in illas alias regiones immigrasse. Fuisse enim hanc gentem vagam et saepissime sedes commutasse, vel quod ad vagandum praeceps [5]), vel quod Deorum immortalium consilio quum calamitatibus variis tum vero erroribus exercita fuerit [6]).

Quorum sententiam, quamquam ab ea, qua *Pelasgos totam Graeciam antiquitus stabilibus et certis sedibus tenuisse* enuntiatum est, propius abest, quam *Ephorus* quique cum eo consentiant, et ipsam tamen longo intervallo ab ea distare facile intelligitur. Quumque huic non modo veterum auctorum testimonia sat multa repugnent, sed ne *Niebuhrio* quidem probata sit [7]), Viro ut harum rerum peritissimo, ita nimiae timiditatis nequaquam arguendo, jam praevideo, fore, ut quam plurimi ad eam oppugnandam existant. Quare nihil eorum, quae ad eam defendendam facere posse videantur, erit praetermittendum. —

Et primum quidem *de singulis Graeciae terris* videbimus, quas antiquissimis temporibus a *Pelasgis* habitatas fuisse testimoniis veterum scriptorum probari possit. Et ut a *Peloponneso* ordiamur, satis constat, ejus regionis, quae postea mutatis incolis *Achaja* vocitata est, antiquos incolas *Pelasgos* fuisse [8]), *Arcadiam* autem a plerisque vel omnium *Pelasgorum* patriam habitam esse, supra jam commemoratum est [9]). Alios *Argolidi* hoc tribuisse, eodem loco dictum; certe quin hujus quoque terrae prisci incolae *Pelasgici* generis fuerint, dubitare non licet [10]). Quod autem de *Argolide*, idem de *Laconica* videtur dici posse, quam antiquis temporibus cum illa terra conjunctam fuisse sciamus [11]). Confirmatur etiam haec sententia *Servii* auctoritate [12]). *Messeniae* autem incolas ad eandem, ad quam *Laconicae*, pertinuisse gentem, recte ex eo colligi videtur, quod, teste *Pausania* [13]), *Polycaon*, qui primus in illa terra regnasse fertur, primi *Spartanorum*, a quo generis originem repetunt, regis filius fuit. — Sed quid de *singulis Peloponnesi partibus* quaeramus, quum non pauci veterum scriptorum loci afferri possint, quibus *tota terra* aliquando *Pelasgorum* sedes constitutas fuisse probari potest [14]). — Quodsi ad *reliquam Graeciam* pergamus, quin *Atticae* incolae *Pelasgi* fuerint, qui in *Hellenes* postea conversi sint, *Herodoti* testimonium nullum omnino dubium reliquit [15]). *Locrenses* et *Boeotios* huic genti adnumeratos esse, *Niebuhrius* negat [16]). Et de *Locrensibus*, quos *Leleges* fuisse proditum est, infra videbimus; *Boeotiae* incolas priscos *Pelasgos* fuisse equidem contenderim. Ad quam rem confirmandam neque eo uti volo argumento, quod *Pelasgi* una cum *Thracibus* quondam hanc terram obtinuisse perhibentur [17]), quum probe sciam hos, expulsis demum priscis incolis, nisi per aliquod tempus terram non possedisse; neque eo, quod *Dionysius* [18])

tradit, *Pelasgorum* ex *Thessalia* a *Deucalionis* populis pulsorum partem quandam *Boeotiam* invasisse, licet hoc in auxilium vocare possem, quum, quod infra demonstrabitur, probabile sit, omnes eas terras, quas *Dionysius* tum demum a *Pelasgis* occupatas esse tradit, inde ab antiquissimis temporibus jam incolas gentis *Pelasgicae* habuisse, sed, ut alia quoque hic omittam, hoc mihi satis firmum afferri videtur argumentum, quare hujus quoque terrae antiquissimos incolas, licet aliis nominibus notatos, tamen *Pelasgicae* stirpis fuisse credamus, quod *Cabirorum sacra et mysteria,* quae *Pelasgorum* propria fuisse *Herodotus* auctor est [19]), in *Boeotia* orta esse traditum est [20]). — Per *Thessaliam* omnem antiquitus *Pelasgorum* sedes constitutas fuisse, in vulgus notum est, ita ut vix hujus rei testimonia afferri necesse sit [21]).

Haec fere sunt, quae de singulis *Helladis,* quae proprie vocatur, terris habemus veterum scriptorum testimonia. Quum autem postea huic voci latius patens potestas subjecta sit, ita ut, quae a septentrionibus eam cingunt terrae, quaeque antiquitus ab ea exclusae erant, *Epirus* atque *Macedonia,* in ejus partibus ita referrentur, ut *Epirus* jam *Herodoti* aetate a nonnullis *Graeciae* adnumeraretur, *Macedonia* posteris demum temporibus, de *illa,* num forte hanc quoque terram *Pelasgorum* sedem fuisse memoriae proditum sit, jam hoc loco, de *hac* postea videbimus. Et, si quam terram, certe *Epirum Pelasgos* tenuisse constat, id quod vel ex eo patet, quod clarissimum antiquitatis oraculum, *Dodonae* constitutum, *Pelasgicum* fuisse omnes veteres scriptores uno ore docent. Locos horum, quibus quum *Epiroticarum* nationum, tum *Dodonaei* oraculi origo *Pelasgica* probatur, afferre non attinet, sufficit Lectorem ad *Niebuhrii* librum saepe laudatum delegare [22]). —

Quum *Epirotas Pelasgos* fuisse in confessis sit, ex eo, quod parvas quasdam nationes, quae postea vel *Thessaliae* vel *Aetoliae* vel *Acarnaniae* vel *Macedoniae* adnumeratae sunt, ad *Epiroticam gentem* proprie pertinuisse traditum est, recte colligi videtur, eas quoque in *Pelasgicorum populorum* numerum esse referendas. Et primum *Dolopes,* quos regiones a *Pindo* monte meridiem versus porrectas incoluisse *Strabo* auctor est, *Homerus* [24]) extremam *Phthiam* tenere perhibet, verisimile est proprie ex *Epiroticis* nationibus fuisse, quae *Strabonis* sententia fuisse videtur, item *Ptolemaei* et *Scymni* [25]). Cui accedit, quod *Achelous* fluvius, qui teste *Thucydide* [26]) per *Dolopiam* fluebat, in *Epiroticis* numeratur. *Pelasgi* autem quin fuerint, eo minus dubium esse potest, quum qui *Scyrum* insulam habebant *Dolopes* generis *Pelasgici* fuisse constet [27]). Quod ad *Amphilochos* attinet, quos cum urbe, cui *Argos Amphilochicum* nomen erat, postero tempore *Acarnaniae* adjectos vides, ad *Epiroticarum* nationum numerum recte adscribi, *Strabonis* auctoritate nitentes firmiter affirmare possumus [28]).

Agraeos vel *Agraos,* qui et *Aetolos* attingunt et *Acarnanes,* licet a *Strabone,* nulla *Epiroticae* originis mentione habita, constanter inter *Aetolicos* populos numerari videam, tamen *Niebuhrio* [29]), qui eos in *Epiroticorum* numero reponit, assentire non dubito. Nec est, quod ab eo, idem de *Orestis,* quorum terra postero tempore *superioris Macedoniae* pars facta est [30]), statuente, recedendum esse putem, quum haec sententia *Strabonis* aliorumque veterum scriptorum testimoniis confirmetur [31]). Sed de *Elimiotis* et *Pelagonibus,* eadem veterum scriptorum auctoritate commotus, idem, quod ille V. C., sentire non possum, ut infra fusius ostendetur [32]).

At, dicet fortasse aliquis, etiamsi ex locis veterum

scriptorum modo in medium prolatis apparet, *magnam, quin maximam Graeciae partem antiquitus tenuisse Pelasgos,* minime tamen ex iis efficitur, id quod a Te positum est, *omnem eos possedisse terram,* praesertim quum praeter *Pelasgos* etiam alii antiquae *Graeciae* incolae, ut *Aones, Temmices, Leleges, Caucones, Curetes,* alii, a veteribus scriptoribus commemorentur. Nonne igitur multo propius ad veritatem accedere videbimur, si, veterum scriptorum auctoritate commoti, in eam discedamus sententiam, ut e multis nationibus barbaris, quarum sedes antiquis temporibus *Graecia* fuisse tradatur, unam fuisse gentem *Pelasgicam* statuamus; hujus fuisse patriam *Arcadiam,* vel *Argos,* quod vocant, *Achaicum,* vel, ut multa Tibi concedamus, *totam Peloponnesum;* inde colonias deductas in alias *Graeciae* regiones, praesertim in *Thessaliam*? — Sed ne quaeramus, quomodo quibus haec sententia probatur explicare velint, qui fieri potuerit, ut una *Peloponnesus* antiquissimis temporibus hujus gentis sedes fuerit, num eam revera γηγενῆ haberi veliut, an navibus advectam esse putent; ut omittamus, nullam omnino in *Atticam* inde profectorum *Pelasgorum* mentionem exstare, sed *Atticae* incolas non minus, nec minori profecto jure, quam *Peloponnesi* αὐτόχθονας se esse praedicare; ut omnia haec et hujusmodi alia praetermittamus: *Epirum* tantum commemorabo, quam antiquissimis temporibus et jam diu ante *Deucalionis* tempora *Pelasgos* possedisse omnes consentiunt. Num, quod ne *Dionysio* quidem probatum esse videmus, Tibi probabile videtur, huc quoque missos esse ex *Peloponneso* colonos? Et, si concesseris, quae *Peloponnesi* fuerit, eandem hujus terrae fuisse conditionem, eam pro altera quasi *Pelasgorum* patria esse habendam: nonne Tibi verisimile videtur, *Pelasgos* eas quoque regiones, quae inter has terras in-

terjacent, tenuisse non ex *Peloponneso* advenas, sed earum, ut hujus ipsius, ex antiquissimis temporibus incolas, praesertim quum tam facile ad explicandum sit, qui *Graeci* scriptores ad sententiam de *coloniis Pelasgicis ex Peloponneso huc atque illuc deductis* mentibus concipiendam pervenerint? Nam tum, quum hi ad sui populi aliorumque res scriptis mandandas animum adpellebant, jam diu evanuerat pristina *Pelasgicae* gentis potentia ac gloria, atque in *Graecia* quidem praeter memoriam nil ejus reliquum erat. Et ne haec quidem memoria plena et integra, vera et incorrupta ad posteros pervenerat; quod vix secus accidere potuisse facile est ad intelligendum. Nam ne dicam ante aetatem *historicam*, ante eam ipsam aetatem, ex qua, quod ulla fide dignum sit, proditum est, factum est, ut *Pelasgi* vel ejecti vel subacti vel mixti cum aliis populis, propria gens esse desinerent, ne multa ut *Pelasgicum* nomen exstingueretur et e vivorum populorum numero eximeretur. Itaque evenit, ut de plurimis, quas antiquitus *Pelasgi* tenuerant, terris, ipsa hujus rei memoria oblitteraretur, de paucis tantum et inter has de *Arcadia* servaretur. Quumque hujus terrae incolae, quippe qui, licet, quod infra docebitur, et ipsi in *Hellenes* conversi essent, soli tamen de omnibus *Graeciae* populis, semper *Pelasgicam* stirpem puram nec ullis aliis populis mixtam servassent, et *αὐτόχθονας* se esse, et *Pelasgum* inter se genitum esse gloriarentur: fieri vix potuit, quin plerique *Arcadiam Pelasgorum* patriam sumerent, unde *Pelasgicorum* aliarum terrarum incolarum origines repetendas esse censerent. Nos autem, nihil impedit, quominus veriorem de hac re sententiam concipiamus et, missis coloniis, fictis iis quidem a scriptoribus ad rem explicandam, quam aliter expediri non posse putarent, statuamus: *Antiquis temporibus non solam Arcadiam nec solam Pe-*

loponnesum, sed omnem omnino Graeciam, etiam Epiro non excepta, Pelasgicos habuisse incolas, praesertim quum haec sententia non solum probabili conjectura, sed gravissimis *veterum scriptorum testimoniis,* tanquam fundamentis certissimis nitatur.

Auctorem enim hujus sententiae in medium produco eum, quem inter veteres historicos tanta pollere auctoritate, quanta qui maxime, omnes facile concedent, mea vero sententia unum dignum, quem ducem sequamur, quippe qui — id quod iis, quae infra disputabuntur, majori etiam in luce collocabitur — unus omnium veterum historicorum in his rebus verum viderit, *Herodotum.* Hic enim non solum tradit, eam terram, cui postea *Hellas* nomen factum sit, quo nomine etiam *Epirum* comprehendit, antiquitus *Pelasgiam* esse vocatam [33]), sed etiam alio loco fine ulla exceptione et circumscriptione refert, *Pelasgos* tenuisse quondam eam terram, quae postea *Hellas* nuncupata sit [34]). Nec omnino desunt *alii veterum auctorum loci,* qui sententiae *Herodoteae* confirmandae esse possint. Exstat memorabilis *Aeschyli* locus [35]), quo *Pelasgis* multo etiam major terrarum ambitus adsignatur, quam qui *Graeciae* finibus contineatur —; exstat praeterea *Scholiastae* ad *Lycophronis Cassandram* locus [36]), quo non soli *Peloponneso,* sed *omni Graeciae* antiquis temporibus *Pelasgia* nomen fuisse traditur.

Argumenta, si quid video, satis valida atque idonea, quibus ad sententiam, quam proposui, comprobandam adducamur! Nam quicunque hujus rei quae sit vera conditio perspectum comprehensumque animo habet, nec plura nec majora exspectare poterit. Attamen video, fore quam plurimos, qui, quamvis sint veri studiosi, nec opinionibus praejudicatis occupati, tamen in hanc sententiam pedibus ire dubitent. Video etiam, quid obstet. Impedi-

mento iis sunt, quominus hoc faciant, *populi, qui praeter Pelasgos antiquae Graeciae incolae* apud veteres scriptores commemorantur. Nesciunt, quid his fiat, si universa terra uni *Pelasgorum* populo attribuatur. — Ego vero minime pendeo animi, quid faciendum sit. Quid enim est, quod obstet, quominus hos omnes ac singulos *Pelasgicae gentis partes* faciamus? — Quodsi *Herodotus* Tibi auctor non esset, vocis causa *Cranaos,* quos antiquissimos *Atticae* incolas fuisse constat, *Pelasgos* fuisse, nonne si a veteribus scriptoribus *Cranaorum* inter antiquae *Graeciae* incolas mentionem factam videres, nonne de his idem Tibi accideret, quod nunc v. c. de *Aonibus?* Populum a *Pelasgis* diversum putares, et ex ea re, quod *Cranai* partem *Graeciae* antiquae tenuisse tradantur, idoneum argumentum petere posse Tibi videreris, quo, qui omnem hanc terram *Pelasgos* obtinuisse dicunt, refelleres? — Verum enim vero etiam *argumenta* nobis videntur afferri posse, quibus hoc certe efficiatur, ut non prorsus a vero aberrasse existimemur, quum hos populos omnes in *Pelasgicorum* numero habendos esse posuimus. Dum autem uberiorem hujus argumenti tractationem alii loco et tempori reservamus, ubi omnia, quae ad hanc sententiam comprobandam nobis dici posse videantur, accurate et plene exponentur, hic ut a proposito nostro non alienum, sic satis esse ducimus, nonnulla, quae e re esse videantur, paucis attingere. Et quod ad *Temmices* et *Aones* attinet, qui in priscis *Boeotiae* incolis referuntur, nolumus jam ea repetere, quae supra in eam sententiam dicta sunt, ut *Pelasgicam* antiquissimorum hujus terrae incolarum originem probaremus; hic Lectores admonitos volumus, ne negligant, eundem, qui hos populos *Boeotiam* antiquitus incoluisse tradat, *Strabonem,* eos illuc ex *Attica* venisse prodere [11]), ex *Attica* inquam, quam *Pelasgicam*

nationem, nec adventiciam eam, sed, quod sciamus, a principio tenuisse cognitum habemus. *Leleges* Pelasgos fuisse cur crediderim, hoc potissimum causae est, quod complures regiones, quas *Pelasgos* habuisse exploratum est, easdem *Leleges* tenuisse memoriae proditum invenio. Sic *Leleges* antiquissimi *Megaridis* incolae fuisse traduntur [38]), quam antiquitus *Atticae*, itaque terrae a *Pelasgis* habitatae, partem fuisse, nemini non notum est [39]). *Totius Peloponnesi* incolas antiquos fuisse *Pelasgos* supra demonstratum est; *Straboni* placet, hanc terram antiquitus coluisse *Dryopes, Caucones, Leleges, Pelasgos* [40]). Verum enim vero si *Dryopes*, utpote qui ad *Dores*, quos posteris temporibus terram occupavisse constat, pertinere videantur, male his admixtos esse statuas [41]), et *Caucones* pro populo *Pelasgico* habeas — optimo hoc jure Te facere posse, infra docebitur — jam solos *Pelasgos* et *Leleges* reliquos vides, quorum utrique indigenas se esse praedicabant [42]). Quid, quod *totam oram Asiae minoris*, cui postea ab *Jonibus* ex *Graecia* illuc profectis *Jonia* nomen factum sit, ante hos a *Caribus* [43]) et *Lelegibus* occupatam fuisse, *Strabo* auctor est [44]), quum *Menecrates* apud *Strabonem* tradat, eandem hanc terram eodem tempore obtinuisse [45]) *Pelasgos*. Quumque *Strabo* doceat, *Leleges* in ea quoque orae parte, quae *Aeolis* postea ex *Aeolicis* coloniis ex *Graecia* illuc deductis nuncupata sit, praecipue circa sinum *Adramyttenum* habitasse, et nominatim de *Antandro* urbe *Alcaei* versiculos quosdam laudet, ex quibus hanc *Lelegum* urbem fuisse appareat [46]): *Herodotus* hanc ipsam urbem nominat *Pelasgicam* [47]). Et revera *Pelasgorum* hac regione sedes constitutas fuisse, eo intelligitur, quod a *Strabone Larissam* urbem in ea et in ipso quidem *Ilii* conspectu, sitam fuisse relatum est [48]). Ubi enim de *Larissa* urbe menti-

onem illatam videris, ibi *Pelasgos* habitasse pro certo affirmare poteris. Nam ubicunque terrarum *Pelasgos* habitasse certo scimus, ibi etiam urbes, quibus *Larissa* nomen fuit, invenies [49], ita ut optimo jure concludere posse videaris, urbes, quae *Pelasgicarum* civitatium capita fuerint, hoc nomine fuisse appellatas. Quae quum ita sint periculum non est, ne a vero aberremus, si, quas terras non quidem constat, verisimile tamen est, *Pelasgos* tenuisse, in his revera *Pelasgorum* sedes constitutas fuisse sumere non dubitamus, ubi *Larissam* urbem in iis positam fuisse comperimus. — Quibus argumentis si adducor, ut *Leleges Pelasgos* fuisse statuendum esse censeam, alia sunt, quibus mihi persuadetur, aliam tamen quandam inter eos et *Pelasgicum* nomen intercessisse rationem, quam v. c. inter *Arcades* et *Pelasgos*; sed haec significasse satis sit, quum exponi ac probari paucis verbis non possint, et multum me esse in his rebus hujus scripti institutum et ratio vetet [50]. — De *Cauconibus*, quos etiam *Peloponnesi* incolas fuisse jam commemoratum est, hoc habeo, quod addam, *Cauconem Apollodorum* inter *Lycaonis* filios, i. e. *Caucones* inter *populos Pelasgicos* referre [51], et suo quidem jure eum hoc facere, infra, ubi de *Asiae minoris* incolis agetur, docebimus [52]. — De *Curetibus*, ne justos fines egressus esse videar, disputationem, quae paucis absolvi non possit, instituere nolo, itaque sufficiat addidisse non omnino deesse, quibus hujus quoque populi origo *Pelasgica* probari possit.

Haec sunt argumenta, quibus quae in medium prolata est sententia nititur. Quibus si id modo effectum erit, ut Lectores probabilem eam esse et ad verum videri dicant, quod intenderam animo, consequutum me esse profitebor. Non enim sum nescius, in hisce quaestionibus ultra quo progrediamur nobis non datum esse, quam ut

veri videamus similia. — Positis autem his, quae mihi quidem ad veritatem proxime accedere videntur, sponte jam intelligitur, quantum distet a vero eorum sententia, quos supra dictum est *Pelasgos* pro vaga quadam mixtorum omnis generis hominum colluvione habuisse, neque minus in aperto est, iis quoque non esse assentiendum, quibus haec quidem improbatur, altera illa tamen probatur sententia, qua *Pelasgi* erroribus infinitis quibusdam obnoxii fuisse, neque usquam nisi ad breve tempus stabiles sedes collocare potuisse creduntur; et vix aut ne vix quidem necesse est ad refutandas has sententias *Herodoti* auctoritatem in auxilium vocari, qui, quum per se jam pateat, eum, qui *Pelasgos* antiquitus *omnem Graeciam* coluisse tradat, hos non pro vaga quadam multitudine habere potuisse, aperte tamen, ubi *Hellenicam* gentem *πουλυπλάνητον κάρτα* fuisse refert, etiam hoc docet, *Pelasgicam οὐδαμῆ κω ἐκχωρῆσαι* [53]). Satis est, unde natus sit ille aliorum scriptorum de *Pelasgorum* erroribus error, paucis ostendisse. Apparuerat in *Graecia* tempore, quo *Pelasgi*, qui *Graeciam* incoluerant, jam in *Hellenes* mutati essent — circa belli *Trojani* tempora — natio quaedam *Pelasgica*, cui etiam *Tyrrhenis* nomen fuisse perhibetur, quamque alii aliunde, plerique ex *Italia* venisse ferunt. Hi *Pelasgi-Tyrrheni*, [53]b), qui revera per *Graeciam* huc illucve vagati erant, neque usquam certas sedes constituere potuerant, donec *Attica*, ubi ad tempus degerant, pulsi, *Lemnum* et *Imbrum* aliasque insulas his finitimas occupaverant, scriptoribus *Graecis* aevi posterioris, qui eos cum *antiquis Pelasgis* confunderent, causae fuisse videntur, cur *omnes Pelasgos* vagam et errabundam hominum multitudinem fuisse statuerent. Ego vero tantum abest, ut in horum sententiam discedam, ut ne *Nomadum* quidem, qui dicuntur, more *Pelasgos*

Graeciam peragrasse, sed civitates et urbes constitutas habuisse contenderim. Argumento mihi sunt, quae traduntur de civitatibus *Pelasgicis*, v. c. in *Argolide, Thessalia*, etc. conditis; porro *moenium rudera*, quae, *cyclopica* vulgo nominata, non minus in *Graecia*, quam in iis *Italiae* regionibus etiamnunc exstant, quarum incolas antiquos *Pelasgos* fuisse compertum habemus [54]), quaeque his ipsis attribuere vix est, quod dubitemus; confirmatur haec sententia denique urbium *Larissarum* mentione, de quibus supra disseruimus. — Quodsi denique quaeratur, num *αὐτόχθονες τῆς Ἑλλάδος Pelasgi* fuerint, an ex alia terra in hanc immigraverint, hoc habeo, quod respondeam. Veteres scriptores, quantumvis discrepent in aliis rebus, quae ad hanc gentem pertineant, in eo tamen consentire videntur omnes, *Pelasgorum patriam fuisse Graeciam.* Nec, quod equidem intelligam, quicquam est, quare ab hac sententia discedendum nobis esse putemus atque statuendum, alios ante *Pelasgos* populos *Graeciam* possedisse, atque hos vel colonos fuisse, qui, ex aliis terris profecti, inter illos recepti essent, vel vi atque armis terram sibi subjecisse.

---

§. 7.

Exstiterunt autem in *ipsa Graecia*, per quos effectum est, ut nomen *Pelasgicum* mox ita evanesceret, ut praeter memoriam nihil ejus relinqueretur. *Hellenes* dico, quos *Graecos* nominare *Romanorum* moris erat. Ili, quam partem quandam gentis *Pelasgicae*, ab hac se-

gregatam, ceterisque cultu atque humanitate praestantem, fuisse persuasum mihi est, *Pelasgos partim* sedibus pepulerunt, *partim* iis, et multo maximae parti, constitutis per omnem fere terram inter *Pelasgicos* incolas coloniis, suorum morum, legum, institutorum, quin ipsius, quatenus haec discreparet, linguae cum *Hellenicis* commutandorum causa fuerunt, ne multa, effecerunt, ut qui *Pelasgi* fuerant in *Hellenes* converterentur (*ἡ εἰς Ἕλληνας μεταβολή*.) Itaque quum, *vel* pulsis pristinis incolis *Pelasgicis*, *vel* in Hellenes conversis, *omnes civitates Pelasgicae* factae essent *Hellenicae* praeter unius *Arcadiae* incolas, qui soli nec ab *Hellenibus* ejecti, nec cum iis permixti sunt, progrediente tempore hi tamen et ipsi moribus suis ad *Hellenes*, quibus undique circumdati erant, conformatis, horum similes fieri et in eorum numero haberi coepti essent: factum est, ut omni terrae, cui antea ex incolis *Pelasgia* nomen fuerat, postea item ex incolis, qui communi *Hellenum* nomine jam appellarentur, *Hellas* nomen poneretur.

Omnes, qui *Graecorum* res enarraverunt et antiquitatis et recentioris aevi scriptores communi consensu do-

cent, exstitisse antiquis temporibus in *Graecia* gentem, cui *Hellenibus* nomen faciunt; quam, quum primo parva tantum hominum manus fuerit, mox per omnem Graeciam ita esse quasi disseminatam, ut omnibus terrae incolis commune Ἕλληνες, terrae toti Ἑλλάς nomen positum sit; sed in explicando modo, quo hoc factum sit, in definienda tum origine gentis, tum ratione, quae inter hanc et *Pelasgos* intercesserit, tanta opinionum decretorumque discrepantia, ut quicunque firmam ac certam super hac re sententiam, gravissima ea quidem et dignissima, quae penitus cognoscatur, sed perquam obscura et multis difficultatibus pressa, sibi formare cupiat, ipsos adeat fontes necesse sit, et ex veterum scriptorum testimoniis verum ita elicere suscipiat, ut, explorato, quinam omnium gravissimus, et cui fides habeatur dignissimus sit, quae ab hoc tradita sunt tamquam fundamenta ponat, super quibus aedificium exstruatur, reliquorum dictis nisi ad exaedificandas et exornandas singulas aedificii partes non utatur. Itaque nos, quos quaestiones istas plane omittere instituti ratio vetet, hanc, quam in iis, quae supra disputata sunt, jam ingressi sumus, viam persequamur, et eundem, quem jam antea, *Herodotum* ita ducem sequamur, ut reliquos, ubi ad *Herodoteam* narrationem vel supplendam vel confirmandam pertinere videantur, in auxilium vocemus.

Sed ut ad rem pergamus, primum dubium esse omnino non potest, quin *Herodoti* eadem, quae reliquorum *Graecorum* scriptorum, fuerit sententia, *Hellenes* non adventicios esse, sed indigenas et a principio in *Graecia* habitasse. Hoc patet ex loco supra jam a nobis laudato, qui de variis gentis *Hellenicae* migrationibus mentionem habet, ubi auctor, demonstraturus, hanc gentem fuisse πουλυπλάνητον κάρτα, profecto, si ei, ex alia terra in *Graeciam* eam immigrasse, persuasum fuisset, hoc addere

non omisisset. — Haec autem res non parvi momenti est. Ex ea enim fit, ut, quum *Herodotum* antiquam *Graeciam* omnem *Pelasgis* attribuere demonstratum sit, ex ejus quidem sententia *Hellenes non diversi a Pelasgis, sed pars sint hujus gentis, ab ea segregata.* Quod quum necessario quodam modo ex iis efficiatur, quae demonstrata sunt, vix ad persuadendum, hanc fuisse sententiam *Herodoti*, testimonio opus est, quo aperte ea enuntiata sit; quod ipsum tamen afferri potest [2]). Non igitur est, quod, *Herodotea* auctoritate, tamquam firmissimo fundamento nitentes, hoc primum de *Hellenibus* ponere atque asseverare dubitemus: *tantum abesse, ut diversa fuerit, Hellenica gens a Pelasgica, ut non solum cognatione quadam inter se junctae, sed illa hujus pars fuerit*, praesertim quum multa sint, quibus haec sententia confirmetur, nihil, quod equidem videam, quo infirmetur [2 b.]).

Quod ad *primas hujus populi sedes* attinet, si *Herodoto* fidem habemus, eae in *Phthia* s. *Phthiotide*, quae *Thessaliae* postero tempore adnumerata est, constitutae erant. Et verissimam esse hanc antiquissimarum *Hellenicae* nationis sedium constitutionem, vel ex eo intelligitur, quod compertum habemus, in hac *Thessaliae* parte fuisse vel urbem vel regionem, cui soli primo Ἑλλάς, sicuti incolis Ἕλληνες nomen esset, quamque hoc nomen etiamtum, quum jam omnes *Graeciae* incolae licet non nomine, re tamen in Hellenes commutati essent, tamquam sibi proprium servasse ab *Homero* edocti scimus [3]). Unus omnium veterum scriptorum *Aristoteles* terrae, cui proprie Ἑλλάς nomen erat, alium locum adsignasse, eamque tum in finitima *Epiro Thessaliae* parte, tum in *Epiro* ipsa sitam fuisse, videtur censuisse [4]).

Sequitur jam ea disputationis pars, qua, *quonam modo Hellenicum nomen per omnem Graeciam propaga-*

tum sit, ostendatur. Qua in re sane non est, cur ducem, quem hactenus sequuti sumus, missum faciamus, quum alium hoc certiorem ac peritiorem vix reperiamus. Videndum igitur ante omnia, quamnam super hac re sententiam *Herodotus* animo informatam habuisse videatur.

Herodoto igitur auctore [5]) gens *Hellenica* primo sub *Deucalione* ejusque filio *Hellene* in *Phthiotide* habitavit; sub *Doro* autem, *Hellenis* filio, relicta, quam hucusque tenuerat, terra, causis commota nescio quibus, aliam terrae, cui postea *Thessaliae* nomen factum est, partem, quae sub *Olympo* et *Ossa* montibus est, *Hestiaeotidem* occupavit. Hinc a *Cadmeis* pulsi, quum aliquamdiu circa *Pindum* montem commorati essent, *Dryopide* potiti sunt. Inde *Peloponnesum* invaserunt, cujus partem maximam, jam *Dorica* gens appellata, ab hoc inde tempore occupatam tenuerunt. Alter Hellenis filiorum, nomine *Xuthus,* in *Peloponnesum* se contulit, ejusque filius *Jon* tum *Pelasgis Aegialensibus* [7]), qui hujus terrae oram maritimam, cui *Achajae* postea nomen datum est, possidebant, tum *Pelasgis Cranais* [8]), quorum sedes in *Attica* constitutae erant, nominis mutandi causam praebuit [9]). *Achaei,* quem alterum *Xuthi* filium fuisse proditum est, nullam quidem apud *Herodotum* mentionem factam invenio; nec tamen dubitandum est,quin idem de eo, quod aliis veteribus scriptoribus, *Herodoto* placuerit. Ex horum autem sententia vel per *Xuthum* ipsum vel per filios ejus effectum est, ut qui *Argolidem* et *Laconicam* incolebant, *Achaeis* nomen sibi ponerent [10]). *Aeolum,* quem tertium *Hellenis* filium fuisse perhibent, in *Thessalia* remansisse et incolas, praeter eos, qui sub *Doro* erant, *Aeolensium* nomen ab eo tulisse, inter omnes veteres auctores videtur constare. Quodsi autem *Herodotum* ducem sequamur, in sententiam vulgari, qua *Aeolo* ab Hellene *imperium in Hellenicam*

gentem relictum esse sumitur [11]), contrariam pedibus eamus atque statuamus necesse est: *utrumque quidem, et Aeolum et Dorum, Thessaliae finibus non excessisse, imperium Hellenicae gentis autem non Aeolo traditum esse a patre, sed Doro, eundemque hanc ex Phthiotide traduxisse in Hestiaeotidem;* ut supra commemoratum est, *Aeoli autem* eandem, quam reliquorum *Hellenis* filiorum, *Xuthi* et *Achaei* sortem fuisse [12]). Hoc efficitur tum ex iis, quae supra de *Doro* commemorata sunt, tum ex loco *Herodoti,* qui exstat L. VII. c. 75 [13]).

Quae si diligentius considerentur, fiet, ut, quod primo adspectu vix explicari posse videtur, facile perspiciatur et comprehendatur, qui gens *Hellenica,* quam initio parvam atque invalidam fuisse ipse *Herodotus* auctor est [14]), mox per omnem *Graeciam* ita diffusa atque disseminata sit, ut omnes terrae incolae *Hellenes* et essent et nominarentur, de priscis autem vix ac ne vix quidem memoria reliqua esset, hoc enim ita factum esse intelliges.

1. *Ipsa gens Hellenica,* eadem, cui postea, quum reliqui quoque *Graeciae* incolae *Hellenes* essent, ex *Dori* nomine, quem patrem *Hellenem* in regno excepisse vidimus, *Doriensibus* factum est nomen, post varias migrationes, quarum vel traditae nobis sunt causae, vel ignorantur, tandem, uti supra jam commemoratum est, in ea *Graeciae* parte, cui tunc *Dryopidi* nomen erat, incolis vel pulsis vel subactis, consedit. Abundante autem postea hac terra incolarum multitudine, quaedam tantum *Doriensium* pars in hac terra remansit, cui ab his postea *Doridi* nomen factum. Pars in *Peloponnesum* trajecta maximam hujus partem in suam redegit potestatem. Nam *Achaeis,* qui ad id tempus *Argolidem* ac *Laconicam* obtinuerant, devictis atque in *Aegialenses* vel *Jones* conjectis, quos terra exturbatos in

Atticam confugere coëgerunt, praeter hanc, quam *Achaei* occupaverant, regionem et *Arcadiam*, omnem sibi subjecerunt terram. Quumque, quos non ejecerant ex possessionibus incolas, eos subigerent et vel servorum conditionem subire cogerent, factum est, ut pleraeque civitates, quas posteris temporibus in *Peloponneso* constitutas invenimus, *Doriensium* essent sive *Hellenum*, qui proprie dicuntur.

2. Jam vero postquam vidimus, quasnam *Graeciae* regiones *Hellenica gens* occupaverit, eo magis mirum videatur necesse est, quod mox in *omni* terra pro *Pelasgis Hellenes* inveniuntur. Et premi quidem hanc rem difficultatibus, non est, quod negemus; neque vero propterea eam pro desperata et quae explicari omnino non possit haberi voluerim. Nam persuasissimum mihi est, si modo veterum scriptorum, inprimis autem *Herodoti*, qui, quo modo illud effectum sit, haud obscure significaverit, vestigia presse persequamur, fore, ut ad finem exoptatum perveniamus.

Iis enim, quae *Herodotus* de *Xutho* ejusque filio *Ione* prodit, veri quaedam quasi semina inesse arbitramur, ex quibus verum ipsum elicere et producere nihil negotii sit. Nam in aperto est, *Herodotum* nil nisi hoc significare voluisse, *Ionem* primum in *Pelasgos Aegialenses*, tum etiam in *Pelasgos Cranaos* imperium ditionemque consequutum, itaque factum esse, ut uterque populus, et nomine et moribus ad regem conformatis, ex *Pelasgico* evaderet *Hellenicus*, novo insignitus nomine. Nec alia sententia eorum, quae et de *Achaeo* vel potius *Achaei* filiis et de *Aeolo* traduntur. Et hanc sententiam ita veram esse persuasum nobis est, ut in singulorum hominum locum, qui *Hellenis* nescio cujus filii vel nepotes fuisse traduntur, *colonias* ex *Hellenica gente* profectas substituendas esse arbitremur [15]. Hi *coloni Hellenici* inter pri-

scos incolas *Pelasgicos* consederunt, quumque eos cultu atque humanitate hos anteisse verisimile sit, mox principatum quendam sibi comparare sciverunt. Quod eo facilius fieri potuit, si, quae a veteribus tradi cognovimus, vere evenisse, si ducibus eorum contigisse ponamus, ut *regiam potestatem* occuparent, occupatamque ad posteros propagarent. Nam ut positis his consentaneum est, summa ac plurima in administranda civitate jura atque honores cessisse reliquis advenis eorumque posteris, ita mirum videri omnino non potest, priscos incolas totos se ad advenarum exemplum finxisse atque conformasse, eorum leges, instituta, mores, linguam adscivisse, ne multa, evenisse, id quod *Herodoto* μεταβάλλεσθαι ἐς Ἕλληνας dicitur, ut *Pelasgi converterentur in Hellenes.* Hoc igitur modo factum est, ut tum prisci *Atticae* incolae, tum *Aegialeae* seu ejus *Peloponnesi* orae, cui postea *Achajae* nomen datum est, *Ionico* nomine sibi posito, item ut *Pelasgi* qui *Laconicam* et *Argolidem,* quae postea vocatae sunt, obtinebant, assumto *Achaico* nomine, in *Hellenes* commutarentur; idemque accideret parti *Thessaliae* incolarum, ut ex *Pelasgis Hellenes, Aeolensium* nomine a reliquis distincti, evaderent. Itaque quum in magna *Graeciae* parte *Hellenicae* civitates constitutae essent, quae reliquae essent, eae quoque simili modo in *Hellenicas* commutatae sunt, coloniis missis ex iis, quae jam ex *Hellenicarum* numero erant, praecipue ex *Aeolicis*, id quod a veteribus scriptoribus ita significatum est, ut, quum quae civitates primae *Hellenicae* factae sunt, eas ab *Hellenis filiis* vel *nepotibus,* quae posteris temporibus, ab *Aeoli posteris* conditas esse tradant [16]).

3. Sic quum de omnibus *Graeciae* civitatibus, quo modo *Hellenicae* factae sint, demonstrari possit, relinquitur una *Arcadia,* quam neque unquam ab *Helle-*

nibus esse subactam, neque colonos hujus populi in se recepisse traditum est, quum postero tempore et ipsos *Arcades*, non minus quam reliquos *Graeciae* populos, *Hellenibus* adnumeratos esse compertum habeamus. Et optimo quidem jure hoc factum esse contendimus. Nam nemo non videt, fieri vix potuisse, quin *Arcades*, quum undique ab *Hellenicis* populis circumdati essent, et moribus et lingua ad hos conformatis eorum similes, quin et ipsi *Hellenes* fierent.

Quodsi haec, quae modo a nobis disputata sunt, bene apud animum perpenderis, fore speramus atque adeo confidimus, ut et potuisse *gentem Hellenicam*, quamvis parvam, totam *Graeciam* ita replere intelligas, ut omnibus terræ incolis *Hellenes*, omni terræ *Hellas* nomina data et jure data sint, atque ut, quanam id effectum sit ratione, perspicuum Tibi sit atque apertum. Neque vero diligenter hæc considerantem Te fugere potest, quamvis omnes recentioris *Graeciae* incolae recte *commune Hellenicum nomen* habeant, hoc tamen non eodem modo ad omnes pertinere, sed *quod ad originem attinet* discrimen aliquod inter eos esse statuendum. (Fieri non potuisse, quin hoc originis discrimine etiam morum totiusque vitae rationis pareretur, per se patet, et hic leviter monuisse satis est.) *Ab origine* enim qui post communiter *Hellenes* nominati sunt in *tres* discernendi sunt *partes*, quarum *una* iis continetur, qui *Hellenicam stirpem*, *altera* iis, qui *Pelasgicam puram sinceramque servarunt*; *tertia*, iis, qui, quum *origine* essent *Pelasgi*, receptis inter se *colonis Hellenicis* in *Hellenes conversi* sunt. Primum ad *Dorienses*, alterum ad *Arcades*, tertium ad *reliquos Graecos* omnes pertinere patet ex iis, quae supra disseruimus. Quodsi igitur de *tribus* illis *gentibus (Staemmen)* quaeratur, in quas *Hellenes* dividere antiquis jam moris erat,

Dorica, *Jonica*, *Aeolica*[17]), intelligitur, de his *Dorienses* eosque solos, *si originem spectes*, vocandos esse *Hellenes*, utpote qui soli sint *gens Hellenica* pura et cum *Pelasgis* non mixta; non item *Jones* et *Aeolenses*, sed hos potius *Pelasgos*, *quod ad originem attinet*, esse appellandos; nam antiquitus *Pelasgi* erant et in *Hellenes* demum conversi sunt. *Arcades* denique, qui proprie ad nullam earum gentium pertinerent, etiam recentioribus temporibus simpliciter *Pelasgi* nominari poterant, et *Hellenicum nomen* eatenus tantum eos attingebat, quatenus *Hellenum* similes facti erant. Et quum revera *Herodotum* omnes hos ita discernere videamus[18]), firmissimum hac in re, quare vera esse, quae posui, mihi persuadeam, argumentum invenisse mihi videor.

§. 8.

Neque vero in sola *Graecia* antiqua *Pelasgorum* domicilia constituta fuisse videtur nobis demonstrari posse, sed etiam terras huic finitimas eandem tenuisse gentem persuasum nobis est. Et primum quidem ut

1. *antiquos Macedoniae, sic*
2. *Thraciae omnis incolis*

commune cum *antiquissimis Graeciae incolis* genus fuisse vel maxime probabile videtur.

Postquam *Graeciam*, eamque totam antiquissimis temporibus *Pelasgicam* gentem tenuisse demonstratum est, jam, num eam solam, an etiam alias obtinuerit terras, inquirendum videtur esse. Et primum quidem de iis, *quae septentrionem versus Graeciam adjacent terris*,

num forte eosdem, quos *Graecia antiqua*, incolas habuerint, videbimus. *Epirum* autem quum supra jam *Pelasgorum* sedem fuisse demonstratum sit, hoc loco de solis *Macedoniae* incolis quaerendum videtur esse. — Quod autem ad hos attinet, primum omnium satis constat, nomina „*Macedones*“ et „*Macedonia*“, antiquis prorsus ignorata [1]), recentioribus temporibus et tum demum orta esse, postquam in istis terris regnum a *Graecis* conditum est. Qua de re licet variae ac discrepantes narrationes nobis traditae sint, in rerum summa tamen, quae quidem ulla dignae sint fide, convenire videntur. Nam tum ii, qui *Cranaum* quendam hujus regni conditorem faciunt, quorum e numero *Justinus* est [2]), tum qui *Perdiccam* ejusque fratres fundasse tradunt, quod *Herodotum* facere notum est [3]), tum qui, a quonam constitutum sit, non definiunt, ut *Thucydides* [4]), in eo tamen omnes consentiunt, venisse, qui hoc regnum condiderint, ex *Argis*, et coloniae ductorem [5]), eundemque primum novi regni regem, qui per manus posteris tradiderit, ex *Temeni*, cui de *Heraclidis*, quum *Dores Peloponnesum* occupavissent, *Argolis* evenerat, stirpe prognatum fuisse. Nec in definiendo *tempore*, quo hoc factum sit, ita magna decretorum varietas, quum omnes fere concinere videantur, vel IX. sec. ineunte vel VIII. sec. a. Chr. n. regni fundamenta jacta esse. Hoc igitur tempore primum *Macedonicum nomen* ortum, certe nisi ab eo nullam nec *Macedonum* nec *Macedoniae* apud veteres scriptores mentionem factam videmus [6]). Itaque quinam hanc terram, ubi regnum *Macedonicum* conditum est, antiquitus obtinuerint, quidque de eorum origine et genere ex antiquis et historicorum et geographorum monumentis effici possit, investigemus necesse erit.

Multas, quae hanc terram incoluisse traduntur, natio-

nes ad duas tamen omnes gentes numerari videmus, vel ad *Thraciam*, vel ad *Paeoniam;* longe maximam terrae partem autem *Paeones* sibi vindicant, id quod, percensitis singulis, quorum mentionem habitam invenimus populis, magis erit in aperto.

Eam terrae partem, quae *Thessaliae* et *Epiro* finitima, inter meridiem et occidentem solem spectat, quaeque *Elimiotis* appellatur [7]), ita ut, qua *Stympham* montem adjacet, a nonnullis scriptoribus etiam *Stymphaeae*, *Tymphaeae*, *Stymphalidi* sive *Stymphaliae* [8]) nomen ei positum esse videatur, *Paeones*, antiquis quidem temporibus, tenuisse ex eo satis apparet, quod *Strabo Paeones Dolopum* vicinos facit [9]). Quodsi idem alio loco *Elimiotas* in *Illyricarum* nationum numero referre videtur [10]), efficitur, ut, quam terram antiquitus *Paeones* obtinuerint, eandem postea *Illyrica* natio occupaverit. Idem *Macedoniae*, quae postea vocata est, terris, quae ad occidentem solem vergunt, omnibus accidisse, quum per se videatur non alienum a vero, tum eo declaratur, quod, quos hujus tractus incolas unus veterum scriptorum *Paeonias* gentes appellat, iisdem alter *Illyricum* nomen attribuere videtur. Sic *Eordi* *Plinio* auctore *Paeonia* gens est; *Strabo* eosdem in *Illyricarum* numero habet [11]). *Deuriopum*, regionem *Eordaeae* confinem, quae prope *Erigonem* fluvium orientem versus pertinebat, *Livius Paeoniae*, *Strabo Illyridis* partem facit [12]). *Pelagones*, item a *Geographo* in *Illyricarum* nationum numero repositos, *Paeonum* partem constituisse non modo *Plinius* auctor est, sed idem etiam *Livius* tradit, quid, quod ipse *Strabo* alio loco *Paeones Pelagones* vocitatos esse testatur [13]). Ab *Eordis* septentrionem versus circa fontes *Erigonis*, siquidem *Ptolemaeo* fides habenda est, *Almopiorum* sedes constitutae erant, quos e numero *Paeoniarum* nationum

fuisse a *Plinio* edocti scimus [14]). *Paeones* porro in utraque *Axii* fluvii ora antiquitus habuisse videntur [15]). *Emathiam* quidem, quae in ea fluvii ripa, quae in occidentem solem spectat, non procul ab ostiis oritur atque ad *Pelagones* pertinet, antiquis temporibus *Paeoniam* nuncupatam esse, *Livius* auctor est [16]). Quae alteram fluvii ripam attingit, finitima *Emathiae*, *Mygdonia* regio, ejus incolae inter *Paeonias* nationes a *Plinio* numerantur [17]). *Emathiam* et *Mygdoniam* septentrionem versus in utraque fluvii ripa *Pelagonia* videtur excepisse, quam *Paeonum* fuisse supra commemoratum est. Circa ejusdem fluvii fontes autem sita fuisse videtur, quae *Livio* proprie dicitur *Paeonia* [18]). Diversa ab hac *Paeonia Ptolemaei*, cujus *Δήβορος* et *Ἄλωρος* urbes; nam a *Pelagonibus* occasum, a *Lynco* septentrionem et occasum versus spectat. — Omnes *Macedoniae*, quae postea vocata est, regiones, quae ad *septentrionem* vergunt, a gentibus *Paeoniis* habitatas fuisse, recte ex *Thucydidis* loco colligi nobis posse videtur, ubi non solum regionem, quae circa *Strymonis* fontes est, indeque sub *Scomio* monte in orientem solem porrigitur, itaque ejus terrae, quae *Strymone* et *Nesto* fluminibus continetur, partem, quae in septentrionem spectat, *Paeoniis* populis, regno *Odrysio* subjectis, assignat, sed etiam *Paeones liberos* trans *Strymonem* occidentem solem versus coluisse tradit [19]). Sed non solum circa *fontes Strymonis* fluvii *Paeonias* nationes habitavisse, sed omnes omnino regiones, quae circa hunc fluvium sunt, usque ad *Darii Hystaspis* tempora iis subjectas fuisse, *Herodotus* docet, qui idem singularum nationum, quae has terras tenebant, nomina litteris mandavit [20]. Quarum partem quum in *Asiam* traductam esse narret, conjicere licet, *Sintos*, fortasse etiam *Maedos*, *Thracios* populos. sedes ab illis

derelictas occupasse [21]. *Paeoniarum* illarum nationum sedes etiam ultra *Cercinen* montem occidentem solem versus pertinuisse, situs *Doberi* urbis, quam *Paeoniam Thucydides* appellat, satis declarat [22]. Quin etiam *Chalcidices* peninsulae partem quidem *Paeones* habuisse ex *Herodoto* discimus, quippe qui *Xerxem, Acantho* urbe *Thermam* petentem, per *Paeonicam* et *Crestonicam* regiones iter fecisse narret [23]). Num autem omnes antiquos peninsulae incolas Veteres inter *Paeonias*, an partem inter *Thracias* retulerint nationes, equidem non definiverim, quum certa hujus rei desiderentur vestigia [24]). De *Bottiaeis*, saepissime una cum *Chalcidensibus*, utpote quorum vicini essent, commemoratis, infra dicendum erit, quia ex pristinis sedibus pulsi, hac terra recentiori demum aevo potiti erant [25]). — Jam de iis populis, qui supra *Chalcidicen* peninsulam loca, quae inter *Strymonem* fluvium et *Thermam* seu *Thessalonicen* urbem interjecta sunt, obtinebant, disputatio erit instituenda. Commemorantur *Bisaltae* et *Crestonaei* [26]). Et *Bisaltae* quidem *Herodoto* [27]) auctore ab ipso *Strymone* occidentem versus pertinent; medii inter eos et *Mygdones* sunt *Crestonaei* [28]). *Thracium* populum fuisse *Bisaltas, Plinius* [29]) et *Conon* [30]) testes sunt. De *Crestonaeis*, num e *Thraciorum* an *Paeoniorum* populorum numero fuerint, nihil proditum invenio, praeterquam quod *Stephanus Crestonen* urbem *Thraciae* commemorat [31]), quae quin ad *Crestonaeos* nostros pertineat, vix erit, qui in dubium vocet. Hoc vero quaeritur, num quam *Herodotus* suis etiam temporibus a *Pelasgis* habitatam fuisse *Crestonem* urbem [32]) prodat, eadem sit, quae *Stephano* commemoretur, numque in *Crestonaeis* posita fuerit. Quod ad hanc rem attinet, equidem censeo, nemini ne suspicionem quidem natam fuisse, illam ab hac diversam atque alibi esse

quaerendam, quam in ea, quam supra accuratius definivimus, *Macedoniae* parte, nisi *Dionysius Halic.*, qui illum *Herodoti* locum in suos de antiquitatibus Romanis libros transcripsit, in locum: „*Κρηστωνιῆται*“ „*Κροτωνιᾶται*“, i. e. urbis *Cortonae*, quam *Graecis* propter celebritatem nominis *Crotonis* — ut *Thomae* de *Pinedo* verbis utar — *Κρότωνα* vocare moris erat, in Etruscis sitae incolas, substituisset [33]. Quo factum est, ut quam plurimi, *Dionysii* auctoritate permoti, statuerent, *Herodotum* l. l. omnino non de urbe *Crestonaeorum, Macedoniae* incolarum, sed de *Italica* urbe loqui [34]). Utcunque autem haec res se habet, hoc dubium esse non potest, quin ex hoc loco *Herodoteo* argumentum pro *Pelasga antiquissimorum* hujus regionis incolarum origine non sit petendum; nam etiamsi statuas, agi de urbe *Crestonaeorum*, quos partem *Macedoniae* incoluisse demonstratum est, tamen idem *Herodotus*, qui *Crestonis* urbis incolis genus *Pelasgum* attribuit, eos ex *Thessalia* immigrasse auctor est.

Restat, ut de ea *Macedoniae* parte, quae ab *Axio* fluvio in *sinus Thermaici* ora ad *Thessaliam* porrigitur, disserendum esse videatur. Quem tractum quum duas continuisse terras, *Bottiaeam* [35]) et *Pieriam* [36]), omnes fere veteres scriptores consensu doceant, dissentiunt tamen in finibus earum terminandis, nec quinam hi fuerint, facile est ad definiendum. Ex *Herodoti* sententia *Axius* fluvius *Bottiaeam* a *Mygdonia* dividit; *Lydia* et *Haliacmone* fluviis, quorum aquae in unum alvum fundantur, fines *Bottiaeae* ac *Macedonidis* constituuntur [37]. Qua in re prima difficultas, nec ea facile removenda, eo oritur, quod *Herodotus Haliacmonem* et *Lydiam* *συμμίσγοντας ἐς τωὐτὸ ῥέεθρον τὸ ὕδωρ* dicit, quum et *Strabo* et *Ptolemaeus* eosdem seorsim, nec parvo intervallo inter-

jecto, in sinum *Thermaicum* effundi tradant [38]). Tum quaeritur, quaenam sit illa, quam *Herodotus* memoret, *Μακεδονίς* regio. Quod ad hanc attinet, omnes facile mihi concessuros esse spero, vel maxime probabile esse, ei regioni, in qua prima regni *Macedonici* fundamenta posita sint, hoc nomen ab *Herodoto* inditum esse. Hanc autem *Emathiam* fuisse infra docebitur [39]). Cujus partem si statuas, in altera conjunctorum *Lydiae* et *Haliacmonis* ripa ad mare usque porrectam, inter *Bottiaeam* et *Pieriam* interjectam fuisse, et hanc esse, quae ab *Herodoto* *Μακεδονίς* appelletur, omnia jam in aperto sunt. Quodsi porro sumas, *Paeoniam* istam, quam *Thucydides* primos *Macedonum* reges sibi subjecisse narrat, pro eadem *Emathia* esse habendam, optime illo loco *Thucydideo*, quo etiam ista *Paeonia* ad mare usque pertinuisse tradatur, et illustratur hic noster locus, et veram esse sententiam a nobis propositam, comprobatur. Nec adversatur *Ptolemaeus*, qui, *Ludiam* fluvium *Pieriae* attribuens, *Bottiaeam* omnino ignorat, omni, quae post *Pieriam* est, ora *Emathiae* adjecta. *Strabo* e contrario *Bottiaeam* *Pieriae* partem facere videtur [41]).

Pieres Thraces fuisse notius est, quam quod locis veterum scriptorum allatis comprobari necesse sit. De *Bottiaeorum* origine nihil, quod quidem ulla dignum sit fide, traditum invenio. Nam quae *Plutarchus*, *Aristotelem* auctorem sequutus, de hac re in vita *Thesei* retulit [42]), vix cuiquam probatum iri existimo, nisi eatenus aliquid veri his inesse statuere vis, quod ex *Graecia* in *Macedoniam* immigrasse dicuntur. Quod si Tibi placuerit, e *Pelasgorum* numero eos fuisse, sumendum Tibi erit; sin contrariam huic sententiam comprobaveris, vel *Thraciis* vel *Paeoniis* nationibus adnumerari necesse erit [41 b]).

His expositis, jam quod supra a nobis significatum est in

aperto erit, terrae, cui postea *Macedoniae* nomen inditum sit, longe maximam partem antiquitus possedisse populos, quos *Paeonios* veteres scriptores appellent, exiguam tantum, quos inter *Thracios* numerent. Et si quaeratur, utrorum, *Paeoniorum*, an *Thraciorum*, e numero ejus ipsius regionis incolae fuisse perhibeantur, ubi primum regnum *Macedonicum* a *Temenidis* conditum sit: dubio caret, quin *Paeonii* fuerint, quum *Emathiam*, quam *Paeones* tenuisse in confessis est, novi regni quasi incunabula fuisse memoriae sit proditum[43]. Ejusdem autem terrae incolas quum a *Trogo Pompejo* sive, qui hunc in epitomen coëgit, *Justino*, (cujus non levis in his rebus auctoritas, quippe qui satis accurate ac diligenter antiquos *Graecorum* historicos reddat et in his quidem — id quod *Niebuhrio* placet — *Timaeum* auctorem sequutus esse videatur) *Pelasgos* fuisse relatum sit, recte ex hac re colligere nobis posse videmur, *Paeones omnes ad magnam illam Pelasgam gentem esse referendos*. Nec desunt omnino, quae ad hoc testimonium confirmandum et corroborandum pertinere videantur. Traditum est ab *Herodoto*[44]), *Paeones* se a *Teucris* sive *Troibus* ortos praedicasse. Quae res quamvis non ea sit, cui simpliciter fides habeatur, tamen ejusmodi narrationibus non omnem omnino fidem esse denegandam, sed aliquid veri iis inesse, praeeunte *Niebuhrio*, contenderim; declarari iis, populos, quos alterum ex altero coloniis deductis vel alio quodam modo originem traxisse proditum sit, generis cognatione se attingere et ad unam eandemque gentem esse referendos. Itaque quum quam plurima sint, quae *Troes Pelasgae* gentis partem fuisse suadeant, jam istam narrationem *Herodoteam*, ex qua sententia de *Pelasgico Paeoniae* gentis genere aliquantum roboris ac firmamenti capiat, vel maxime idoneam esse, quis est, quin intelligat? Quum praeterea idem *Niebuhrius* verissime monuerit, etiam *Genealogis* istis, qui heroum

genera describenda sibi sumpserunt, id certe esse tribuendum, ut, quasnam antiquitas, quam, etiamsi non optime, melius tamen quam nos super hac re edoctam fuisse, nemo facile est, qui infitias sit iturus, de origine ac mutua gentium cognatione opiniones habuerit, ex eorum tabulis satis perspicue et dilucide cognoscatur: quod ab *Apollodoro* relatum est [45]), fuisse inter *Lycaonis* filios *Μακεδνόν* quendam, id non omnino negligendum esse ducimus, utpote qua re significatum sit, non prorsus alienam fuisse ab antiquitate eam sententiam, qua antiquis *Macedoniae* incolis origo *Pelasgica* attribuitur. Cui sententiae ut accedam, omnium maxime id me movet, quod colonis illis *Hellenicis*, quos ex *Argis* in eam terram deductos esse traditum est, nihil negotii fuisse apparet, omnem hominum multitudinem in *Hellenes* convertere. Mox enim et mores *Hellenicos* et linguam inter hos ita invaluisse videmus, ut *Hellenibus* omnes incolae, tota terra *Helladi* coepta sit adnumerari. Quam rem expediri non posse persuasum nobis est, nisi intimo cognationis vinculo cum *Hellenibus* antiquos terrae incolas conjunctos sive *Pelasgos* fuisse statuamus, quos quidem nullo negotio ubique in *Hellenes* commutatos esse vidimus.

Quum autem supra expositum sit, terram, quae postea *Macedonia* appellata sit, licet maximam partem, tamen non cunctam *Paeoniarum* nationum sedem, etiam *Thraciae* gentis incolas habuisse; — quum praeterea, inter primas nationes, quae novi regni ditioni subjunctae sunt, non minus *Thracios* quam *Paeonios* populos fuisse, per *Thucydidem* [46]) edocti sciamus: sequitur, ut argumenta, quae ultimis locis a nobis posita sunt, siquidem probandi vis iis insit, valeant ad probandum non solum *Paeonum*, sed etiam *Thracum* genus *Pelasgicum*. Sed licet probabilem iis reddi hanc sententiam, qua *Thraces* quoque ad *Pelasgicorum* populorum numerum adscribuntur, non negem,

ego tamen non is sum, qui putem, rem iis absolvi atque constitui.

Alia, ut hoc, quoad ejus fieri possit, efficiatur, in medium proferenda erunt argumenta. At vero etiam sunt, quae proferantur. Et primum quidem contenderim, non solum ea, de quibus modo disseruimus, sed quaecunque alia de *Paeonum* genere *Pelasgico* afferri possint argumenta, idem de *Thracibus* probare, quum *Paeones Thraciae gentis partem fuisse* persuasissimum mihi sit. Quod hac ratione demonstrare mihi posse videor. *Homerus* vix dubium est, quin *Thraciae* nomine etiam eam terram, cui post *Macedoniae* nomen factum est, comprehenderit, quum *Paeones* in ea habitasse minime ignoret; itaque sequitur, ut hos ad *Thraciam gentem* adscripsisse videatur, praesertim quum nec omnino desiderentur loci, quibus nomen ac genus *Thracium* aperte *Paeonibus* attribuat. *Strabo*, qui *Homerum* ita facere minime miratur, sed de ea re, quod *Macedonia* antiquitus pro *Thraciae* parte habita sit, tamquam nota atque confessa loquitur, alio loco ipse diserte tradit, omnem *Macedoniam* antiquis temporibus a *Thracibus* fuisse obsessam[47], quum longe maximam ejus partem gentes, quae *Paeoniae* a veteribus scriptoribus appellentur, tenuisse supra demonstratum sit. Itaque quum non sine ratione idonea a nobis positum esse videatur, quaecunque argumenta *Paeonum*, eadem *Thracum* genus *Pelasgicum* constituere, sunt tamen etiam alia, quibus mihi *Thraces*, qui proprie dicuntur, in *Pelasgicorum* populorum numero habendos esse, persuadetur. (Exposita autem, quae inter has gentes intercesserit, ratione, non est, quod multis ostendamus, haec etiam confirmandorum eorum esse, quae de *Paeonibus* in eandem sententiam dicta sunt.) Primum non negligenda videtur *Aeschyli* auctoritas, quem omnem eam terram, per quam *Strymon* amnis fluit,

regno *Pelasgico* tribuere supra jam vidimus. Tum eam rem non parvi momenti esse existimaverim, quod teste *Strabone* [48]) *Larissa* urbs in sinistra *Ponti* ora haud procul ab *Haemo* monte sita erat. — Verum enim vero etiamsi nihil horum traditum esset, tamen *Thraces Pelasgos* fuisse mihi certissimum esset. Nemini enim, mea quidem sententia, obscurum esse potest, antiquissimos *Graeciae* et *Thraciae* incolas unius ejusdemque generis fuisse. Equidem nisi hoc statuerem, profecto nescirem, qui explicarem, quod non solum *musices*, sed etiam omnis omnino *cultus* atque *humanitatis* initia ab ipsis *Graecis* e *Thracia* repetuntur, et ad *Thraces* auctores referuntur. *Pieria Musarum* sedes; hic *Olympus*, hic *Pimpla* fons; quin, quae in ipsa *Graecia Musarum* sedes habitae sunt, a *Thracibus*, *Graeciam* incolentibus, dedicatae esse traduntur. *Musici* primi, *Orpheus*, *Eumolpus*, *Musaeus*, *Thamyris*, iidemque, inprimis *Orpheus*, omnis vitae humanioris *Graecis* auctores, ex *Thracia* oriundi esse perhibentur [49]). Sed haec sufficiant. Nam uberiori non opus esse tractatione existimo ad persuadendam, quam probandam suscepi, sententiam, quum quae modo commemorata sunt, non modo fieri, sed ne cogitatio quidem, facta esse, nasci potuisset, nisi ambo populi arctissimo communis linguae ac generis vinculo conjuncti fuissent.

§. 9.

Si *Thraces* constat e numero *Pelasgorum* fuisse, sequitur, ut omnes *Asiae minoris*, quae vocatur, *incolae*, qua in occidentem solem vergit, ad eandem gentem sint referendi, quum his omnibus commune cum *Thracibus* genus

fuisse, ex veterum scriptorum testimoniis sat multis ac firmis efficiatur. —

Ex veterum scriptorum locis, qui de genere atque origine eorum populorum exponunt, qui *Asiam minorem*, quae vocatur, tenebant, id nobis effici videtur, ut altera horum pars, eidem, cui *Syri*, altera cui *Thraces*, genti adscribendae sint. Ex quo fit, ut, quum *Thraces Pelasgos* fuisse demonstratum sit, quas *Asiam* incolentes nationes *Thracii* generis fuisse evinci possit, ad easdem *Pelasgicum* genus pertinere decernendum sit. Itaque, qui fuerint, qui a veteribus scriptoribus generis societatem cum *Thracibus* habuisse dicantur, ita inquirendum videtur esse, ut, si quae alia argumenta, quibus hos populos in numero *Pelasgicorum* referendos esse declaratur, nobis offerantur, ea haudquaquam negligamus.

1. *Phryges* quin ex illorum numero fuerint, vix est quod dubites, quum omnes antiquitatis scriptores communi consensu tradant, *Phryges*, qui antea *Briges* vel *Breges* vel *Bregi* vocati essent, trajecisse ex *Thracia* — et ex ea quidem parte, cui post *Macedoniae* nomen factum est — in *Asiam*, ubi nomen eorum in *Phryges* mutatum esse [1]). Accedunt etiam alia, quibus sententia haec confirmatur, qua *Phryges* ad *Thraciam* itaque ad *Pelasgicam* gentem referendos esse censemus: communis tum *Bacchi* cultus, quem *Thraces* pariter ac *Phryges* sub *Sabazii* nomine coluisse traditum est, tum *Magnae Matris*, qui inter ipsos *Phryges* ortus esse dicitur, tum praecipue *Cabirorum* [2]), quem *Pelasgorum* proprium fuisse, *Herodotus* prodit.

2. *Mysi*, quum ab *Herodoto* τῶν Λυδῶν ἄποικοι [3]) nominantur, ea re nihil aliud declaratur, nisi hos duos

populos cognatos ejusdemque gentis partes fuisse. Et sententia, qua hos populos et inter se et cum *Caribus* generis communitate junctos fuisse sumimus, satis firmis nititur fundamentis. Horum enim omnium, qui se, utpote qui a fratribus prognati essent, cognatos esse ipsi praedicabant, *Herodoto* auctore [4]), communis lingua, commune τοῦ Διὸς Καρίου templum fuit. Et *Mysos* quidem, si quem alium *Asiae* populum, ad *Thraciam* gentem pertinuisse constat, quum omnes veteres scriptores magnam *Mysorum Europaeorum* nationem, quam *Thraciam* fuisse inter omnes convenit, unam eandemque atque *Mysos Asiaticos* fuisse decernant, licet alii — quae *Herodoti* sententia fuisse videtur [5]) — illos ex *Asia, Mysorum Asiaticorum* parte una cum *Teucris* in *Europam* trajecta, oriundos faciant, alii hos — id quod, si alterutrum factum esse statuendum sit, multo verisimilius est — ex *Europa* in *Asiam* profectos esse tradant [6]).

3. *Lydos*, qui iidem *Maeones* dicuntur [7]), in *Pelasgicorum* populorum numerum adscribendos esse, positis atque concessis, quae supra disputata sunt, videtur probari posse. Nam etsi nulla, qua e *Thracia* in *Asiam* immigrasse dicantur, mentio exstat, tamen eos non minus, quam reliquas nationes, quarum in hac *Asiae* parte sedes constitutae erant, ad *Thraciam* gentem referendos esse, ex ea re intelligitur, quod *Mysos* ac *Phryges*, quos *Thracios* populos fuisse demonstratum est, cognatione attingebant [8]). Et inter *Pelasgicas* nationes jure eos numerari, vel ex eo colligere licet, quod duae urbes, quibus *Larissis* nomen erat, in earum terra sitae erant [9]. Itaque apparet, qui fieri potuerit, ut, quum alii *Tyrrhenos*, *Italiam* incolentes, *Pelasgicae* stirpis esse contenderent, alii origines illorum ex *Maeonia* repeterent. Utraque natio enim quum re vera e *Pelasgicorum* numero esset,

cognitum commune utriusque populi genus peperit narrationem, qua altera ex altera ita orta esse fertur, ut alterius pars pristinis sedibus relictis novas sibi quaesivisse dicatur.

4. *Cares* e numero *Pelasgorum* fuisse ex utraque, quae de eorum origine ac genere nobis tradita est, narratione efficitur. Nam quum ex *altera,* quae ad eos ipsos auctores refertur, *indigenae* et sicuti cum *Mysis* sic cum *Lydis* cognatione juncti esse perhibeantur [10]), quod de horum origine ac genere cognitum exploratumque sit, idem ad eos pertinere, apertum est. Ex altera autem, quam *Cretensium* esse *Herodotus* prodit, quaque *Cares,* antiquissimis temporibus *Leleges* appellati et *Minoi* subjecti, *insulas* tenuisse, tum, longo temporis intervallo interjecto, a *Doriensibus* et *Jonibus* insulis pulsi in continentem pervenisse dicuntur [11]), item efficitur, ut inter *Pelasgicos* populos recte videantur numerari, quum *Leleges Pelasgos* fuisse supra demonstrare conati simus. Confirmatur res eo, quod *Homerus Cares* βαρβαροφώνους appellat, siquidem *Strabo* [12]) recte monuisse putandus est, qui hoc verbo nihil aliud, quam κακῶς ἑλληνίζοντας, id est male graece loquentes significari autumat. Sed utcunque haec res se habet, hoc pro certo videtur affirmari posse, *Carum* linguam *Graecorum* similem fuisse.

5. *Bithynos Thraces* fuisse ita inter omnes veteres scriptores constat, ut saepissime illos *Thraces,* terram, quam in *Asia* colebant, *Thraciam,* vel, quo distinguatur a *Thracia Europaea, Thraciam* quae in Asia est, sicuti incolas *Thraces Bithynos* appellent [13]). Quumque omnes item in eo consentiant, quod eos ex *Europa* in *Asiam* transgressos esse narrant, *alii,* qui *Mysos* ex *Asia* in *Europam* trajectos esse docent, eos ab his sedibus pulsos *Europam* reliquisse, *alii,* quibus contraria illi sententia

probatur, cum *Mysorum*, jam ante eos in *Asiam* profectorum, parte societatem iniisse, nomenque communicasse tradunt [16]). *Strabo* tum *Bebryces*, priores *Bithyniae* incolas, tum *Mariandynos*, *Bithynis* finitimos, *Thraces* fuisse conjicit [17]). Ejusdemque generis *Caucones* videntur fuisse, qui *Mariandynos* in ora *Ponti* attingebant; certe *Pelasgos* fuisse constat.

6. Ad *Troes* quoque pariter atque omnes, qui circum habitabant populi, *Thracium* genus pertinuisse, ut per se veri simillimum est, ita tam multis testimoniis ac vestigiis declaratur, ut dubitando vix locus relinquatur. Primum enim *Herodotus* auctor est, *Paeones Teucrorum*, una cum *Mysis* ante *Trojanum* bellum ex *Asia* in *Europam* trajectorum, ἀποίκους esse [19]); *Strabo* e contrario refert, utrumque populum, ex *Thracia* in *Asiam* profectum, terras, quibus postea *Mysia* et *Troas* nomina indita sint, occupasse [20]). Jam si, quaenam harum sententiarum propius videatur ad veritatem accedere, quaeratur, quotusquisque est, qui non videat, multo esse probabilius, *Troes* vel *Teucros* in *Asia* habitantes colonos esse magnae *Paeoniae* gentis, quam *Paeones* originem ducere a *Troibus*, praesertim quum, si omnino populos aut ex *Asia minori* in *Thraciam*, aut ex *Thracia* in *Asiam minorem* immigrasse statuamus, quam plurima afferri possint argumenta, quibus *hanc* sententiam — trajecisse ex *Thracia* in *Asiam* — *illa* altera multo verisimiliorem esse demonstrari possit. Sed fortasse minimum, ne a vero aberremus, periculum erit, si statuerimus, neutri sententiarum, quae supra expositae sunt, ita esse assentiendum, ut populum alterum ex altero ortum esse, sed eatenus tantum pedibus in eas esse eundum, ut *commune horum populorum genus* fuisse decernamus. Nam quum omnino ejusmodi narrationibus, quibus alterius populi ori-

gines ad alterum referantur, saepenumero nil nisi generis communitatem significatam esse supra demonstratum sit, tum vero ibi hoc locum habere existimandum erit, ubi contrariae sunt narrationes istae, ita ut altera hic populus ab illo, altera ille ab hoc originem traxisse perhibeatur. Illud autem quo confidentius asseveremus, *Troes* cognatione attigisse sive *Paeones* sive *Thraces*, operae pretium erit, alia quaedam, quibus sententia haec quasi fulciatur, afferre. Apud *Strabonem* [20]) multa *nomina* collecta invenies, quae *Thracibus* et *Troibus* communia erant; et quum, etiamsi *Troum* ac *Dardanorum* nominum non plane eandem vim fuisse statuas, id tamen, *Dardanos Trojani* populi partem fuisse, pro explorato videatur esse habendum, non a re fore existimo, Lectorem admonuisse, in montanis, quae *Macedoniae* et *Moesiae superiori* interjaceant, regionibus habitasse populum, quem *Graecis* Δαρδανίους, *Latinis* vulgo *Dardanos* appellare moris esset; quem quidem non sum nescius *Illyricis* fere adnumerari nationibus, sed verum vidisse mihi videor, qui in *Paeoniorum* populorum, ab *Illyriis*, in *Paeoniam* prorumpentibus, in montanas istas regiones pulsorum, numero reponendos esse censeam [21]). Neque praetereundum est, quod omnium veterum scriptorum consensu docetur, *Dardanum* ex *Samothrace*, quam insulam incolas *Pelasgicos* vel *Thracios* habuisse et *sacrorum Pelasgicorum* sedem primariam fuisse [23]), in confessis est, transmisisse in *Asiam*. Et licet *Dionysius* [24]), quo sententiam suam de *Trojani* populi origine *Hellenica* probet, *Dardanum* non indigenam *Samothraces* fuisse, sed ex *Arcadia* illuc venisse referat, hac ipsa re pro argumento uti licet, *Pelasgum* eum fuisse, quia dubium prorsus non est, quin *Dionysius* hoc ipsum significare voluerit [25]). Nec aliud quidquam declaratur eo, quod idem *Dionysius* [26]) *Teucrum*

Athenis in *Asiam* trajecisse prodit. — Omissis aliis, quae ad fidem sententiae nostrae faciendam proferri possint, et relegato Lectore ad *Niebuhrii* librum [27]) saepe jam laudatum, ubi non pauca, quae ad persuadendum satis idonea sint, in eandem sententiam dicta inveniet, — haec tantum iis, quae supra scripsimus, addere liceat: *primum* in agro *Trojano* prope in conspectu *Ilii* sitam fuisse *Larissam* urbem [28]); *tum* attentum *Homericorum* carminum lectorem non posse non animadvertere, poëtam *Graecos* et *Troes* non diversos a moribus, sed ita similes fingere, ut recte statuere mihi posse videar, *Homero* quoque de societate generis, quae his populis erat, persuasum fuisse; sed haec leviter tetigisse satis habemus.

7. *Lyciorum* duplicem multitudinem ab *Homero* commemoratam invenimus, disjunctas terras colentes, quum alterius partis sedes circa *Zelejam* urbem et *Aesepum* fluvium faciat, alterius circa *Xanthum* [29]). Illos, qui *Priami* imperio subjecti erant, etiam ejusdem generis cum *Troibus* fuisse diserte ab *Homero* traditum est [30]); unde non sine quadam veri specie colligere possis, etiam alteram *Lyciorum* partem, quos postero quoque tempore easdem, quas *Homerus* iis attribuit, sedes tenuisse notum est, *Troes* cognatione attigisse, itaque pro natione *Pelasgica* habendos esse. Cui sententiae haudquaquam repugnat, quod de horum *Lyciorum* origine et antiquis sedibus ab aliis scriptoribus [31]) relatum invenio, qui eos e *Creta* oriundos esse tradunt. Nam partem certe *Cretae*, unde etiam *Teucrum* venisse ferunt [32]), *Pelasgos* tenuisse pro comperta re habemus.

8. *Oram maritimam*, quae *infra Troadem* est, *belli Trojani* tempore et *Leleges* et *Cilices* et *Pelasgi* tenebant, in quorum finibus regundis *Strabo* ita versatus est, ut *Lelegum* sedes in ora sinus *Adramytteni*, quae

septentrionem spectat, ab *Lecto* fluvio ad *Antandrum* urbem; *Cilicum* porro inde ab hac urbe ad *Caicum* fluvium; *Pelasgorum* denique ab hoc ad *Hermum* fluvium pertinuisse poneret [33]). *Leleges Pelasgos* fuisse supra persuadere studuimus, argumentis ad hanc sententiam comprobandam usi, quae ex hoc ipso, quem modo laudavimus, loco *Strabonis* petita sunt, conjuncto eo cum alio ejusdem scriptoris, ubi *Leleges*, ut *Cariae* magnam partem, ita totam oram, ab *Jonibus* postea occupatam, obtinuisse narrat [34]). Quod ad *Cilices* attinet, medios inter hos interjectos, eos populos quos finibus eosdem cognatione attigisse, conjectura satis probabili augurari licet. Et quibus haec probabitur sententia, iis aliam quoque probabilem videri consentaneum est, magnam *Cilicum* nationem, quae posteris quoque temporibus terram sibi cognominem in *Asia* minori colebat, inter *Pelasgicas* nationes referendam esse [35]). Sed nihil definio, praesertim quum ab *Herodoto* [36]) ad *Phoeniciam* gentem — id quod aliis ex rationibus propius videtur ad veritatem accedere — pertinuisse eos significatum sit. —

§. 10.

Concessis, quae probare conati sumus, et *Graeciam* et *Thraciam* cum *Macedonia* et *Asiae minoris* eam partem, quae ad occasum vergit, gentem *Pelasgicam* tenuisse, sane non est, quod multus sim in demonstrando, *insulas* quoque, *quae vel adjacent has terras vel iis interjectae sunt*, ejusdem atque has ipsas, id est *Pelasgicae* gentis incolas habuisse. Nam etiamsi nulla hujus rei indicia exstarent, tamen

per se probabilis videretur sententia necesse esset. Quum autem non pauca apud veteres auctores deprehendantur, haec, ut partes nostras transegisse neve quicquam, quod libri institutum postulet, neglexisse videamur, jam colligenda videntur esse atque excutienda.

Non omnis *Pelasgorum*, qui antiquis temporibus *insulas* tenuerant, oblitterata erat memoria, sed multas *Aegaei maris insulas* incolas *Pelasgicae* gentis habuisse memoriae proditum erat. Quum autem plerisque scriptoribus, imprimis *Dionysio*, solam *Graeciam* vel, ut verius dicam, *Peloponnesi* partem aliquam hujus gentis patriam fuisse, unde quotcunque in aliis terris reperirentur, *Pelasgos* egressos esse, persuasissimum iis esset, fieri non potuit, quin ut v. c. *Asiae minoris*, sic etiam *insularum* incolas *Pelasgicos*, quorum ad posteros propagata erat memoria, non ab initio has terras tenuisse, sed ex *Graecia* in illas immigrasse statuerent. Sed ut hic, accuratiori hujus rei disputatione alii loco reservata, concedamus, fieri potuisse, quin factum esse, ut *Pelasgi Graecia* vel sua sponte egressi, vel vi atque armis ejecti, in alias terras et in insulas ad novas sedes quaerendas commigrarent, sunt etiam quae nobis concedantur nostro quodam jure postulare nobis videamur.

Et primum quidem non facile inventum iri existimo, qui neget, si vera sint, quae supra persuadere studuimus, *Pelasgicam* gentem non solam *Graeciam* eamque totam, sed cum *Macedonia* etiam *Thraciam* et eam *Asiae minoris* partem, quae occidentem solem spectat, tenuisse, consentaneum esse et necessario quodam modo effici, *in-*

sularum quoque, *quae has terras adjacent vel interjacent*, priscos incolas ex eadem gente fuisse; itaque si e *Graecia Pelasgos* in eas trajecisse statuatur, statuendum etiam esse hos non primos *Pelasgicos* harum terrarum incolas fuisse, sed ad ejusdem generis homines se recepisse. Tum etiamsi concedatur, factas esse *Pelasgorum* in alias terras et in insulas migrationes, hoc tamen firmissime affirmari posse existimo, si multum, simplicem hujus rei memoriam traditam esse, neque vero accuratam, quae quidem fide digna esset, narrationem, ita ut v. c. de singulis insulis constitisset, quaenam insulae, quo duce quoque tempore occupatae essent; itaque si ejusmodi quid narretur, hoc non certis fundamentis niti, sed scriptorum recentiorum vel conjecturam esse, vel commentum. Nec igitur est, quare *Dionysium* aliosque ejus generis scriptores, ubi insulas incolas habuisse *Pelasgicos* eos quidem, sed ex *Graecia* illuc profectos, presse sequendos esse putemus. Servata erat *Pelasgicorum* hujus vel illius insulae incolarum memoria, sed ea non necessario — id quod *Dionysium* fecisse videmus — referenda ad advenas illos, sive colonos sive patria profugos, quum non minori jure sumi possit, eam ad priscos harum terrarum incolas pertinuisse. Ex quo fit, ut nobis, quamvis non jam, num et quo ex *Graecia Pelasgi* profecti sint, sed quas terras antiquissimis temporibus tenuerint, quaerentibus, istae *Dionysianae narrationes* de insularum incolis *Pelasgicis* iis quidem, sed aliunde advectis, non prorsus sint negligendae, quum praesertim non paucas insulas, quas *Dionysius* a *Pelasgis Graecia* pulsis occupatas esse auctor est, alii scriptores *Pelasgos* tenuisse tradant, nulla ex *Graecia* migratione neque commemorata, nec, quantum quidem intelligi possit, probata. — *Dionysius* [1]) igitur prodit *Pelasgorum*, a *Deucalionis* populis *Thessalia* pul-

sorum partim *continentis* terris, alios aliis, potitos esse, partim dispersos esse in *insulas*. Quorum alios in *Creta* insula sedes collocasse refert, alios *Cycladum*, quae vocantur, insularum nonnullas occupasse, partem *Euboeam* trajecisse, partem ut *ipsius orae Asiaticae* loca non pauca ita *insulas huic finitimas*, inter has *Lesbum*, sibi subjecisse. Et *Cretam* quidem antiquitus *Pelasgorum* sedem fuisse, etiam aliis declaratur vestigiis ac testimoniis. Nam praeter *Larissae* urbis in hac terra positae a *Strabone* [2]) factam mentionem, *Homerum* in numero incolarum ejus diserte *Pelasgos* reponere videmus. Tenuisse enim poëta auctor est hanc insulam aevo *Trojano Achaeos, Eteocretenses, Cydones, Dorienses, Pelasgos* [3]). Jam si ab *Achaeis* et *Doriensibus* discesseris, quos postero demum tempore ad pristinos incolas accessisse, quum per se pateat, tum *Herodoti* [4]) testimonio confirmatur, reliqui sunt praeter *Pelasgos Eteocretenses* [5]) et *Cydones*, quos ipsos quominus e *Pelasgorum* numero fuisse statuas, id quidem impedimento Tibi esse non potest, quod a *Pelasgis* distinguuntur. — *Cyclades* insulas omnes ex *Herodoti* [6]) sententia antiquissimis temporibus coluisse videntur *Leleges*, quos *Pelasgos* fuisse supra demonstrare conati sumus. *Euboeae* primi incolae ab aliis scriptoribus *Abantes* fuisse perhibentur, a quibus antiquum insulae nomen Ἄβαντις ducitur. Quos quum *Thraces* fuisse communi consensu doceatur [7]), est aliqua ratio, quare *Pelasgos* antiquitus hanc quoque insulam obsedisse dicamus. *Lesbum* insulam cur antiquam *Pelasgorum* sedem fuisse decernamus, quum alia afferri possint argumenta, tum vero id satis firmum videtur esse, quod antiquitus *Pelasgiae* nomen ei fuisse traditum est [8]). Simili modo, ut *Lesbi, Chii* quoque insulae primi cultores *Pelasgi* ex *Thessalia* oriundi fuisse perhibentur [9]). — *Samothracen*, item *Lemnum* atque

Imbrum insulas quin habuerint *Pelasgi*, nemo unquam in dubium vocavit, quum ad *bella Persica* usque ibi habitasse ipsa historia duce demonstrari possit [10]; id tamen quaeritur, utrum jam eo tempore has insulas coluerint, quo omni *Graecia Pelasgos* habitasse scimus, an postero demum tempore has sedes invaserint, quod de his quidem *Pelasgis* eo majori veri specie contenderis, quum satis digna fide videatur ea narratio, qua *Pelasgi-Tyrrheni* omni fere Graecia peragrata in *Attica* aliquamdiu commorati, non longo tamen temporis intervallo interjecto, ex hac quoque terra pulsi, in illis insulis stabiles sedes collocasse feruntur. Verum enim vero noli putare, etiamsi hi in has regiones confugerunt, primos eos fuisse *Pelasgos*, qui ad illas oras appulerint, neve dubites, quin eas jam ab hac gente occupatas invenerint. Nam et sedes *Pelasgicorum sacrorum primariae* fuerunt, nec eae ab hoc demum tempore, quo *Tyrrheni* illi iis recepti sunt, — id quod ut per se est verisimile, ita *Herodoti* auctoritate confirmatur [11]), — et *Sinti*, *Thracia*, i. e. *Pelasgica* natio, primi et *Lemnum* et *Samothracen* tenuisse feruntur [12]). — Non solum *Samum*, insulam *Ionicam*, sed omnes omnino, quae *oram Ionicam* adjacebant, insulas antiquissimis jam temporibus possedisse *Pelasgos* veterum scriptorum testimoniis comprobatum est [13]). — Quodsi *Herodotus* τοὺς νησιώτας ἔθνος Πελασγικόν fuisse prodit [14]), non id quidem dubium est, quasnam insulas significaverit, quum *Valckenarius*, *Ceum*, *Naxum*, *Siphnum*, *Seriphum*, *Andrum* et *Tenum* intelligendas esse probaverit, sed utrum *antiquos harum insularum incolas*, an *Iones*, qui eas recentioribus temporibus occupatas tenebant, intellectos voluerit, hoc est, quod dubites. Mea tamen sententia, minimum ne fallaris periculum est, si priori sententiae assenseris, cui minime repugnat, quod

alio loco *Herodotus* antiquissimis temporibus *Cyclades* insulas omnes *Leleges* coluisse refert. (V. supra.)

§. 11.

Tenendum tamen est, me, quum omnes hos populos ad *Pelasgicam gentem* referendos esse probare conatus sim, tamen hoc tantum dicere, *unius ejusdemque gentis* (Volksstammes) *partes omnes*, itaque commune omnibus genus fuisse; *nomen* quoque *Pelasgicum* cunctorum commune fuisse, mihi et ipsi non probari; sed mea quidem sententia hoc ad *solos Graeciae* — fortasse etiam *Epiri* — *incolas antiquos* pertinuisse; itaque de reliquis usurpatum esse a me, non quo putarem, horum quoque, antiquis quidem temporibus, proprium fuisse, sed ut haberem, quo singulas gentis partes communiter significarem. Quum autem non solius *Graeciae* antiquae, sed etiam *Asiae minoris* orae maritimae, quae occidentem solem spectat, item *maris Aegaei insularum* incolas antiquos *Pelasgos* et fuisse et *appellatos* esse traditum sit, statuendum erit: *vel* horum quoque ut antiquorum *Graeciae* incolarum proprium et peculiare hoc nomen fuisse; *vel Graecos*, — *Hellenes* dico — qui primi ad has oras atque insulas appulerint, incolis, utpote quos cum antiquis *Graeciae* incolis generis communitate

et societate junctos cognoverint, *Pelasgicum* nomen attribuisse; *vel* in *Dionysianam* eundum Tibi erit sententiam, qua hi *Pelasgi* ex *Graecia* profecti *Asiae oram* et *insulas* occupasse perhibentur. Et licet haec sententia, quatenus omnium eorum, qui ad eam gentem, quam *Pelasgicam* nominare placuit, pertinebant, origines ex *Graecia* et *Peloponneso* repetit, si, quae supra disputata sunt, a vero non abhorrent, per se jam corruat, — non est tamen, quod negemus fieri potuisse, ut manus quaedam *Pelasgicae* aut sua sponte aut vi atque armis coactae in *insulas* et *oram Asiaticam* trajecerint. — Quod autem ad *reliquos Asiae minoris* incolas attinet, quibus commune cum *Thracibus* genus fuisse demonstratum est, quaeri potest, num iis narrationibus, quibus haec res ita explicatur, ut aut ex *Asia* in *Thraciam*, aut ex *Thracia* in *Asiam* immigrasse populi dicantur, fides sit habenda; et si hoc statuatur, num propius ad veritatem accedat, *Thraces* ex *Asia*, an *Asiaticos* illos *populos* ex *Thracia* oriundos esse. Ego vero censeo, neutrum poni necesse esse, et, quamquam non omnino negaverim, non quidem ex *Asia* in *Thraciam*, ex *Thracia* tamen in *Asiam* migrationes factas esse, tamen contenderim, istis

narrationibus tantum non omnibus nihil veri inesse, nisi quod utriusque terrae incolae cognatione se attingebant.

Nihil jam reliquum est, quam ut, quae modo posuimus, paucis illustranda esse videantur.

1. Nec *Thraciae* nec *Asiae minoris* praeter eos incolas, qui, qua terra in occasum vergit, oram maritimam tenebant, unquam *Pelasgis* nomen fuisse, non tantum probabile esse, sed pro certo videtur affirmari posse, quum, si res secus se habuisset, aliquod certe hujus nominis vestigium servatum nobis esse propemodum necesse esset, praesertim quum non eadem atque in *Graecia* in his terris causa esset, quare extingueretur et oblivioni daretur. Quapropter *Pelasgicum nomen* peculiare fuisse nullius gentis partis, nisi *Graeciae antiquae* incolarum statuendum erit. Num etiam ad *Epirotas* pertinuerit, dubitare licet; verisimile tamen est, quum et veteres scriptores *Pelasgos* hos fuisse consensu tradant, nec desint, ex quibus, ut vere dictum videatur, efficiatur.

2. Quod ad eos *Asiae* atque *insularum* incolas attinet, qui *Pelasgi* fuisse diserte traduntur, quod secundo loco posuimus, vero nobis videtur proximum. In hisce terris primae *coloniae Hellenicae* constitutae sunt. Qui quum cognovissent, incolas institutis, legibus, lingua quum sui ipsorum similes, tum vero reliquiarum, quae de priscis incolis *Pelasgicis* in ipsa *Graecia* reperiebantur, esse simillimos, fieri vix potuit, quin illis quoque *Pelasgis* nomen facerent. Nam licet concesserimus, non prorsus abhorrere a vero eorum sententiam, qui manus quasdam *Pelasgicas* in *insulas* et *oram Asiae, Graeciae* finitimam, transgressos esse statuant, fidem tamen excedere videtur,

tantam hominum multitudinem, quantam, quae tum insulas maris *Aegaei* tum illas *Asiae regiones* tenebat, sumi necesse est, ex *Graecia* exiisse. Nam ut *Dionysio* largiamur, *Hellenicam* gentem, quum primum in *Thessalia* domicilia constituerit, *Pelasgos* ejecisse, profecto non ita magna hominum vis a gente pelli potuit, quam invalidam et perquam parvam fuisse *Herodoto* [1]) auctore compertum habemus. Neque posteris temporibus magnum quidem *Pelasgorum* numerum *Graecia* egressum esse verisimile est, quum non tam ejectis priscis incolis, quam conversis terram *Hellenicam* factam esse demonstratum sit. Accedit, quod, si *Pelasgorum* partem, *Graecia* relicta, novas in aliis terris sedes sibi quaesivisse statuamus, ut sumi, *insulas* et *Asiam* has fuisse, non necesse, ita fortasse etiam probabilius est, in alias terras eos profectos esse. *Herodotus* quidem, nulla *Pelasgorum* in illas regiones migratione commemorata, in aliam terram, sive *Macedonia* ea est, sive *Italia*, *Pelasgos* ex *Graecia* profectos esse auctor est [2]). Cujus si multis demonstrare susciperem majorem apud nos esse debere auctoritatem, quam *Dionysianam*, tempus perdere mihi viderer. Haec enim, mea quidem sententia, levissima nec ullius ponderis et momenti est, ita ut ingenue confiteri non dubitem, eam tantum apud me valere, ut, si deductas esse ex *Graecia* colonias *Pelasgicas*, mihi persuadeam, hoc faciam, non permotus *Dionysiana* ista auctoritate, sed propter alias quasdam causas, quae hoc suadere videantur. Nam quam parum fidei *Dionysianae* narrationi de dispersis ex *Thessalia* quoquoversus *Pelasgis* sit attribuenda, quicunque, quomodo orta sit, perspectum habet, vel me non momente videt. Hoc autem tam apertum atque perspicuum esse arbitror, ut, praesertim quum supra jam passim, quid de hac re sentiam, declaraverim, mul-

tis demonstrare facile supersedere posse mihi videar. Omissa igitur hac disputatione, exemplo docere placet, quanta fide ac diligentia *Dionysius,* quum veterum scriptorum locos, qui vel de *Pelasgorum* migrationibus agerent, vel harum illarumve terrarum incolas antiquos eos fuisse commemorarent, undique colligeret, in hoc quoque negotio versatus esse videatur. Quum enim inter alia narrat, *Pelasgorum* a *Deucalionis* populorum pulsorum partem regionem, quae circa *Olympum* atque *Ossam* montes esset, occupasse, mihi quidem certissimum est, eum in his auctorem sequutum esse *Herodotum,* sed eum prave intellectum, ita ut idem ei accidisse putandum sit, quod viris nostri aevi non paucis, quos, insolito vocum τὸ μέν — τὸ δέ usu conturbatos, ad *Pelasgos* retulisse vidimus, quod de *Hellenibus* dictum est [3]).

3. Cetera, quae posuimus, uberiori non indigent expositione; sufficit, lectorem ad ea, quae supra de eadem re disputata sunt, rejecisse. Quodsi dictum est, me non omnino negare, *Thracias* nationes ex *Europa* in *Asiam* transmisisse, hoc v. c. de *Bithynis* intellectum volo; quos quibusnam de causis, primum in *Europa* coluisse existimem, ex iis, quae supra dicta sunt, facile perspicietur.

4. Alia, quae ad *gentem Pelasgicam cunctam* pertinere videantur, ubi disputatio, quam de singulis ejus partibus instituimus, absoluta, i. e. ubi etiam de iis *Pelasgis,* qui *Italiam* coluisse feruntur, dictum fuerit, commode exponentur.

ANNOTATIONES.

Ad §. 1.

1) Cf. B. G. *Niebuhr* Römische Geschichte. Erster Bd. Zweite Ausg. Berlin 1827. p. 15 sqq., ubi demonstravit, *Graecos* illam distinctionem, licet non semper ab omnibus satis accurate observata sit, retinuisse usque ad *Aristotelis* tempora.

2) *Dionys.* Halicarn. Antiquitt. Rom. I. c. 35. extr. *Τὰ δὲ πρὸ τούτων* (i. e. *πρὸ τῆς Ἡρακλέους ἡλικίας*) *Ἕλληνες μὲν Ἑσπερίαν καὶ αὐτὴν ἐκάλουν· οἱ δ'ἐπιχώριοι Σατορνίαν.* —

3) *Niebuhr.* l. l. p. 24.

4) *Servius* ad *Virgil.* Aen. L. I. v. 522 — „*Est locus, Hesperiam Graji cognomine dicunt,*“ qui versus ad *Ennianum* illum „*Est locus, Hesperiam quam mortales perhibebant*“ eodem *Servio* auctore conformatus est — haec habet: „*Hesperiae* sunt duae, una, quae *Hispania* dicitur, altera, quae est in *Italia*. Quae hac ratione discernuntur: Aut enim *solam Hesperiam* dicis et significas *Italiam*, aut addis „*ultimam*“ et significas *Hispaniam*, quae in occidentis est fine, ut *Horatius:* qui nunc *Hesperia* sospes ab ultima. Est autem haec vera Hesperia ab *Hespero* dicta, i. e. stella occidentali. Ceterum *Italia Hesperia* dicitur a fratre Atlantis, qui pulsus a germano *Italiam* tenuit eique nomen pristinae regionis imposuit, ut Hyginus docet.“ *Id.* ad VI, 6. „*Littus in Hesperiam* hinc ostenditur, *Hesperiam minorem* esse omnem *Italiam* dictam — vel a rege vel a stella.“

5) *Auruncos* non solum *Ausonum* partem fuisse, sed etiam Auruncorum nomen unum idemque esse, atque Ausonicum, docuit *Niebuhr.* p. 70 et 71; et *Livius* ipse Auruncos Ausones vocat; cf. VIII, 16; IX, 25. —

6) De vi et usu v. *Ausoniae* cf. est *Festus* s. v., apud quem haec leguntur: *Ausoniam* appellavit *Auson*, Ulyssis et Calypsus filius eam primam partem *Italiae*, in qua sunt urbes *Beneventum* et *Cales*. Deinde paullatim *tota* quoque *Italia, quae Apennino finitur*, dicta est *Ausonia* ab eodem duce, a quo etiam conditam fuisse Aruncam (sic) urbem ferunt." — Equidem haud scio, an alio modo haec verba: „quae Apennino finitur" explicanda sint, atque a *Niebuhrio* factum videmus, et ita quidem, ut de Apennino dicta ea esse putemus, quatenus a *septentrionibus* Italiam finit et a *Gallia cisalpina* dividit. Quam sententiam si probaveris, ea h. l. v. *Italiae* subjecta est vis, quam *Romanos* ad *Augusti* aevum huic voci subjecisse infra docebitur. — Cum *Festi* loco cf. est *Scholiasta Lycophronis* ad v. 44. (Ed. Basil. a. 1546 p. 15) *Αὐσονία κυρίως, ὡς Δίων γράφει ὁ Κοκκειανὸς* (v. fragm. *Dion.* IV. p. 4 ed. *Reimar.*) *ἡ τῶν Αὐρούγκων γῆ μόνον λέγεται, μέσῳ Καμπανῶν καὶ Οὐολκῶν παρὰ θάλασσαν κειμένη· συχνοὶ δὲ καὶ μέχρι τοῦ Λατίου Αὐσονίαν εἶναι ἐνόμισαν, ὥστε καὶ πᾶσαν Ἰταλίαν ἀπ' αὐτῆς.* — Cf. praeterea *Nieb.* l. l. p. 25.

7) V. praeter ceteros notissimus ille locus *Virgilianus* (Aen. V, 530 sqq.)

> Est locus, *Hesperiam* Graji cognomine dicunt,
> Terra antiqua, potens armis atque ubere glebae,
> *Oenotri* coluere viri, nunc fama, minores
> *Italiam* dixisse ducis de nomine gentem;

et ad h. l. *Heynium.*

8) *Nieb.* l. l. p. 25. 6.

9) Alia, quae *Italiae antiquae* fuisse dicuntur nomina, vix quae commemorentur digna videntur. Nam et obscura, et, quum unius tantum scriptoris auctoritate nitantur, incerta ac dubia sunt. Huc pertinet nomen *Ἄργεσσα*, quod *Tzetzes* ad *Lycophronem* omnium *Italiae* appellationum antiquissimam fuisse perhibet, nulla tamen originis explicatione addita. Ea autem explicatio, quam de

hoc nomine et de n. *Camesene* (de quo adeas *Macrobii* saturnall. L. I. c. VII.) protulit *Sicklerus* in libro, qui inscribitur: Handbuch der alten Geographie etc. Cassel 1824 p. 114, ut pleraeque, quas hic scriptor attulit, vix alii cuiquam, praeter auctorem, probabitur. — Ceterum si *Hesychius Chone* quoque totius Italiae nomen fuisse dicit, (*Χώνην τὴν Ἰταλίαν οὕτως πάλαι ἔλεγον, ὥς φησιν Ἀντίοχος ὁ Ξενοφάνους ἐν τῷ περὶ Ἰταλίας*) — quomodo res se habeat, ex iis, quae §. sequente docebuntur, apparebit.

Ad §. 2.

1) Loci praecipui veterum scriptorum, quibus de antiqua vocis „*Italia*" vi ac potestate agitur, hi sunt: *Strabo* VI. p. 254 et 5 (Ed. *Casaub.*); *Aristot.* de re publ. VII, 10 (p. 198 Ed. *Sylb.*; p. 263 T. II ed. *Casaub.*); *Dionys. Halic.* Antiqu. Rom. I. c. 12 et 35 (p. 27 Ed. *Sylb.*). Omnes autem tamquam e fonte ex *Antiocho* hauserunt, quem *Strabo* et *Dionysius* etiam auctorem nominant, *Aristoteles*, utpote qui τοὺς λογίους τῶν ἐκεῖ κατοικούντων laudet, significat. Fuit hic *Antiochus Syracusanus*, *Xenophanis* filius, et librum *de Italia* composuit, qui, Ἰταλίας οἰκισμός (*Dionys.* I. c. 12) inscriptus, vetustatem non tulit. Quo tempore vixerit *Antiochus*, accurate definiri non potest; colligere licet, eum *Herodoti*, vel, ut verius dicam, *Thucydidis* aequalem fuisse, et omnium primum harum regionum historiam literarum monumentis consignare consilium iniisse.

2) Nominum horum ex veterum scriptorum sententia vim antiquis temporibus eandem fuisse, his declaratur locis:

Ipsa *Antiochi* verba refert *Dionysius* I c. 12: τὴν γῆν ταύτην, ἣ νῦν καλεῖται Ἰταλία, τὸ παλαιὸν εἶχον Οἰνωτροί.

Strabo l. s. l.: Φησὶ δ' Ἀντίοχος ἐν τῷ περὶ τῆς Ἰταλίας συγγράμματι, ταύτην — i. e. τὴν ἑξῆς γῆν, (terram, quae Lucaniae continens est,) ἣν Βρέττιοι μέχρι τοῦ Σικελικοῦ κατέχουσι πορθμοῦ, Ἰταλίαν κληθῆναι, καὶ περὶ ταύτης συγγράφειν, πρότερον δ' Οἰνωτρίαν προσαγορεύεσθαι; *Id.* L. V. in. οἱ παλαιοὶ Οἰνωτρίαν ἐκάλουν Ἰταλίαν; L. VI. p. 265. Οἰνωτρίαν, ἥνπερ καὶ Ἰταλίαν μόνην ὠνόμαζον οἱ πρότεροι.

3) De variis hujus sinus nominibus v. *Casaub.* ad *Strab.* L. VI. p. 255. —

4) *Antioch.* ap. *Strab.* et *Aristot.* et *Dionys.* ll. s. ll. — *Strabo*, postquam, quos fines *Antiochus* suis ipsius temporibus *Italiae* adsignaverit, tradidit, sic pergit: *ἔτι δ᾽ἀνώτερον Οἰνωτροὺς τε καὶ Ἰταλοὺς μόνους ἔφη* (sc. *Ἀντίοχος*) *τοὺς ἐντὸς τοῦ ἰσθμοῦ πρὸς τὸν Σικελικὸν κεκλιμένους πορθμόν· ἐστὶ δ᾽αὐτὸς ὁ ἰσθμὸς ἑκατὸν καὶ ξ στάδιοι μέταξυ δυοῖν κόλπων τοῦ τε Ἱππωνιάτου, ὃν Ἀντίοχος Ναπιτῖνον εἴρηκε, καὶ τοῦ Σκυλλητικοῦ κ. τ. λ.* — Apud *Aristot.* haec leguntur: *Φασὶ γὰρ οἱ λόγιοι τῶν ἐκεῖ κατοικούντων, Ἰταλόν τινα γενέσθαι βασιλέα τῆς Οἰνωτρίας, ἀφ᾽ οὗ τότε ὄνομα μεταβάλλοντας Ἰταλοὺς ἀντὶ Οἰνωτρῶν κληθῆναι, καὶ τὴν ἀκτὴν ταύτην τῆς Εὐρώπης Ἰταλίαν τοὔνομα λαβεῖν, ὅση τετύχηκε ἐντὸς οὖσα τοῦ κόλπου τοῦ Σκυλλητικοῦ κ. τ. λ.* *Dionysii* verba haec sunt: *Ἰταλία ἀνὰ χρόνον ὠνομάσθη ἐπ᾽ ἀνδρὸς δυνατοῦ, ὄνομα Ἰταλοῦ. Τοῦτον δέ φησιν Ἀντίοχος ὁ Συρακούσιος ἀγαθὸν καὶ σοφὸν γεγενημένον καὶ, τῶν πλησιοχώρων τοὺς μὲν λόγους ἀναπείθοντα, τοὺς δὲ βίᾳ προσαγόμενον, ἅπασαν ὑφ᾽ ἑαυτῷ ποιήσασθαι τὴν γῆν, ὅση ἐντὸς ἦν τῶν κόλπων τοῦ τε Ναπητίνου καὶ τοῦ Σκυλητίνου, ἣν δὴ πρώτην κληθῆναι Ἰταλίαν.*

5) Ap. *Aristot.* vulgo legitur *Χάονες*, quod *Casaubono* (ad *Strab.* VI. p. 253) recte viri docti e *Strabone* (in *Χῶνες*) esse emendandum censere videntur, quippe cujus lectionem multa confirment; et *Victorius* hanc emendationem in textum recepit, sed haud scio, an vetus illa lectio retinenda sit. Cf. *Nieb.* R. G. I. p. 59, ibidemq. n. 147. —

6) Idem *Casaub.* ad *Strab.* VI. p. 255 docuit, v. *Χωνίην*, bis a *Strabone* positam, ab imperitis hominibus corruptam et *Χώνην* legendam esse.

7) Expositis, quae de antiquissima nominum: „*Oenotria*“ et „*Italia*“ vi *Antiochus* tradidit, quaeque supra a nobis transcripta sunt, *Strabo* haec ab eodem auctore relata addit: *μετὰ δὲ ταῦτα ἐπεκτείνεται φησι τοὔνομα καὶ τὸ τῆς Ἰταλίας καὶ τὸ τῶν Οἰνωτρῶν μέχρι τῆς Μεταποντικῆς καὶ τῆς Σειρηνίτιδος· οἰκῆσαι γὰρ τοὺς τόπους τούτους Χῶνας, Οἰνωτρικὸν ἔθνος κατακοσμούμενον, καὶ τὴν γῆν*

ὀνομάσαι Χώνην. Admonendi sunt lectores, ne *Casaubono* fidem habeant, qui nimis certum esse dicit, scripsisse *Strabonem* loco: Σειρηνίτιδος — Σειρίτιδος. Prorsus non probanda conjectura critici ceteroquin acutissimi. Nam si vulgata Lectio retineatur, omnia perspicua atque aperta sunt, sin cum *Casauboniana* commutetur, nec cum iis, quae ab ipso nostro scriptore alio loco tradita sunt, nec cum aliorum scriptorum super eadem re decretis facili negotio locum nostrum conciliari posse videbis. Prodit enim *Antiochus*, utrumque et *Oenotrorum* et *Italiae* nomen tempore sequente etiam cum iis communicatum esse, qui, licet *Oenotrii* generis, neutrius tamen ad ea tempora fuissent participes, cum *Chonibus*, *Chonen* terram e suo nomine appellatam incolentibus. Hos autem isthmo illo supra commemorato ab *Oenotris*, qui proprie dicuntur, divisos terram ad *Metapontum* usque et *Posidoniam* coluisse, ex aliis veterum scriptorum testimoniis constat. Jam si hoc nostro loco Σειρηνίτιδος legitur, *Antiochus* plane cum his consentit, quum Σειρηνῖτις idem sit, quod *sinus Paestanus* s. *Posidoniacus* (V. *Conr. Mannert* Geographie von Italia nebst den Inseln Sicilia, Sardinia, Corsica etc. Leipz. Hahn 1823. 8. 2te Abth. p. 98.). At si Σειρίτιδος legeretur, 1. in sinu *Tarentino* duo, iique quodammodo diversi terrae fines ab *Antiocho* constituti essent; 2. contra definitio termini in *mari infero* aut omnino desideraretur, aut, si statueremus, eundem finem, quem *Antiochus Italiae* sui aevi ex iis, quae haec antecedunt, posuit, *Laum* fluvium, hic intelligendum esse, pugnarent cum hoc loco tum alii scriptores, qui *Oenotros* et *Chones* ad *Posidoniam* usque oram maritimam tenuisse testantur (V. *Nieb.* R. G. p. 57 et 8; adde locis ab eo allatis *Strab.* L. V in.), tum *Antiochus* ipse secum. Nam, quae *Dionys.* c. 73. L. I. refert: ἦν δὲ πότε (sub Morgete, Itali filio) Ἰταλία ἡ ἀπὸ Τάραντος (i. e. exclusa hac urbe; v. *Strab.* VI. p. 254) ἄχρι Ποσειδωνίας παράλιος — quin ex *Antiocho* transcripta sint, dubium esse non potest. — Ceterum facere non possum, quin hoc loco *Dionysianam levitatem* notem, qui — L. I. c. 35 — ex *Antiochi* narratione, conjuncta cum *Hellanico*, recte colligere sibi posse videtur, jam circa vel paulo ante *Herculis* tempora toti

terrae, cui postea et ipsius *Dionysii* temporibus *Italiae* nomen erat, hoc inditum esse. Satis luculentum, opinor, documentum, quam parum fidei *Dionysio* tum quoque attribuendum sit, quum alios scriptores nominatim ut sententiae alicujus auctores in medium producit.

8) Ap. *Strab.* verba, quae supra (n. 2.) allata sunt: *Φησὶ δ' Ἀντίοχος — προσαγορεύεσθαι* — haec excipiunt: ὅριον δ' αὐτῆς (i. e. ejus Italiae, cujus οἰκισμόν scripturus erat) *ἀποφαίνει πρὸς μὲν τῷ Τυῤῥηνικῷ πελάγει τὸ αὐτὸ, ὅπερ καὶ τῆς Βρεττίας ἔφαμεν, τὸν Λαὸν ποταμόν· πρὸς δὲ τῷ Σικελικῷ τὸ Μεταπόντιον· τὴν δὲ Ταραντίνην, ἣ συνεχὴς τῷ Μεταποντίῳ ἐστὶν, ἐκτὸς τῆς Ἰταλίας ὀνομάζει, Ἰάπυγας καλῶν.*

9) *Nieb.* R. G. p. 18 sqq.

10) *Id.* ib. p. 20 sqq. — *Corfinium* hanc urbem fuisse notum est. V. *Strab.* V. p. 241.

11) *Polyb.* L. II. c. 14. —

Ad §. 3.

1) *Hellanicus Lesbius* vixit inter Ol. LX et LXX, et enarravit mythica quae dicuntur tum Graecorum tum barbarorum populorum tempora. Fragmenta ed. *F. W. Sturzius* Lps. 1787. 8. iterum Lips. 1826.

2) Ex eorum numero est *Hellanicus*, cujus modo mentionem fecimus. Servata est ejus narratio a *Dionysio Halic.*, qui c. 35 L. I. Antt. Romm. haec habet: *Ἑλλάνικος ὁ Λέσβιός φησιν, Ἡρακλέα τὰς Γηρυόνου βοῦς ἀπελαύνοντα εἰς Ἄργος, ἐπειδή τις αὐτῷ δάμαλις ἀποσκιρτήσας τῆς ἀγέλης ἐν Ἰταλίᾳ ὄντι ἤδη φεύγων διῇρε τὴν ἀκτὴν, καὶ τὸν μεταξὺ διανηξάμενος πόρον τῆς θαλάσσης εἰς Σικελίαν ἀφίκετο, ἐρόμενον ἀεὶ τοὺς ἐπιχωρίους, καθ' οὓς ἑκάστοτε γένοιτο διώκων τὸν δάμαλιν, εἴ ποί τις αὐτὸν ἑωρακὼς εἴη, τῶν τῇδε ἀνθρώπων Ἑλλάδος μὲν γλώττης ὀλίγα συνιέντων, τῇ δὲ πατρίῳ φωνῇ κατὰ τὰς μηνύσεις τοῦ ζώου καλούντων τὸν δάμαλιν οὐΐτουλον, ὥσπερ καὶ νῦν λέγεται, ἀπὸ τοῦ ζώου τὴν χώραν ὀνομάσαι πᾶσαν, ὅσην ὁ δάμαλις διῆλθεν, Οὐϊταλίαν. μεταπεσεῖν δὲ ἀνὰ χρόνον*

τὴν ὀνομασίαν εἰς τὸ νῦν σχῆμα, οὐδὲν θαυμαστὸν - addit *Dionys.* — ἐπεὶ καὶ τῶν Ἑλληνικῶν πολλὰ τὸ παραπλήσιον πέπονθεν ὀνομάτων. —

Apollod. Bibl. L. II, 5, 10. Διελθὼν δὲ Ἀβδηρίαν (*Hercules* bovis Geryonae agens) εἰς Λιγύην ἦλθεν. Ἀπὸ Ῥηγίου δὲ εἷς ἀποῤῥήγνυσι, ταῦρος καὶ ταχέως εἰς τὴν θάλασσαν ἐμπεσὼν καὶ διανηξάμενος εἰς Σικελίαν (καὶ τὴν πλησίον χώραν διελθὼν τὴν ἀπ᾽ ἐκείνου κληθεῖσαν Ἰταλίαν· Τυῤῥηνοὶ γὰρ ἰταλὸν τὸν ταῦρον ἐκάλεσαν) ἦλθεν εἰς πεδίον Ἔρυκος κ. τ. λ. -Locus non sanus. *Heynius* quae parenthesi inclusa sunt, tamquam temere ab alio auctore, qui alteram fabulam inferret de nomine *Italiae*, imposito ab eo vitulo s. bove, qui profugerat, interposita, ejicienda censet; ego vero transponenda esse verba conjecerim, ita ut post verba ταῦρος καὶ ponantur verba: τὴν πλησίον χώραν διελθών, τ. ἀ. ἐ. κλ. Ἰ., tum post parenthesin: Τυῤῥ. — ἐκάλεσαν sequantur reliqua: ταχέως κ. τ. λ. Ejusmodi enim verborum struendorum rationis non plane desiderantur exempla. — *Apollodorum* ita *Tzetzes* sequitur ad *Lycophr.* v. 1232, p. 258 ed. Bas., ut *Itali* quoque mentionem faciat. Verba ejus haec sunt: ἀπ᾽ Ἰταλοῦ ἢ ἀφ᾽ ἑνὸς ταύρου τῶν Γηρυόνου ἀγομένων παρὰ Ἡρακλέους καὶ ἀπὸ Ῥηγίου διανηξαμένου εἰς Σικελίαν εἰς πεδίον Ἔρυκος Ἰταλία ἡ χώρα ἐκλήθη.

3) *A. Gellii* noctt. atticc. L. XI c. 1: *Timaeus* in historiis, quas oratione Graeca de rebus populi Romani composuit, et *M. Varro* in antiquitatibus rerum Romanarum terram Italiam de Graeco vocabulo appellatam scripserunt, quoniam boves Graeca vetere lingua ἰταλοί vocitati sint, quorum in Italia magna copia fuerit, bucetaque (Al. buceraque — v. *Thysium* et *Gronovium* ad h. l.) in ea terra gigni pascique solita sint complurima (al. compluria). *Festus* s. v.: Italia dicta quod magnos italos i. e. boves habeat. Vituli enim *itali* sunt dicti. Idem tamen pergit: Italia ab *Italo* rege. —

Columella de re rust. IV. in: Italia, quae ab hoc nuncupationem traxisse creditur, quod olim Graeci tauros ἰταλοὺς vocarent. — *Varro* de re rust. II., 1 Italia a *vitulis*, ut scribit *Piso;* idem

tamen II, 5: Alii scripserunt, quod e Sicilia *Hercules* eo persequutus sit nobilem *taurum*.

4) V. Locos ad §. 2 (n. 4.) allatos. — *Aristot.* l. s. l. addit de hoc *Italo:* τοῦτον δὴ λέγουσι τὸν Ἰταλὸν νομάδας τοὺς Οἰνωτροὺς ὄντας ποιῆσαι γεώργους· καὶ νόμους ἄλλους τε αὐτοῖς θέσθαι καὶ τὰ συσσίτια καταστῆσαι πρῶτον. Locis supra allatis adde: *Stephan. Byzant.* s. v.: Ἰταλία ἡ χώρα ἀπὸ Ἰταλοῦ, ἡ πρὶν Αὐσονία καὶ Αὐσονίς. *Thuc.* L. VI, 2.: ἡ χώρα ἀπὸ Ἰταλοῦ βασιλέως τινὸς Ἀρκάδων, τοὔνομα τοῦτο ἔχοντος, οὕτως Ἰταλία ἐπωνομάσθη. *Virg. Aen.* I, 533 (Minores) Italiam dixisse ferunt ducis de nomine gentem; *Serv.* ad h. l.: *Italus*, rex Siciliae ad eam partem venit, in qua regnavit Turnus, quam a suo nomine appellavit Italiam; *id.* ad *Virg. Aen.* I, 2: Italus, rex Siculorum, profectus de Sicilia, venit ad loca, quae sunt juxta Tiberim et ex nomine suo appellavit Italiam. Ibi autem habitasse Siculos, ubi Laurolavinium est, manifestum est, sicut ipse alio loco dicit: „Siculi veteresque Sicani," item „et gentes venere Sicanae" saepius, *Eustath.* ad *Dionys.* Perieg. v. 78 ἀπὸ Ἰταλοῦ τινος ὀνομάζονται Ἰταλοὶ, ὡς καὶ ἀπὸ Αὔσονος Αὔσονες. —

Ad §. 4.

1) V. *Niebuhrii* libr. saepe l. p. 22.

2) Eadem sententia probatur *Mannerto;* v. *ejus* Geographie von Italia etc. 1te Abth. p. 541 sq., ubi haec leguntur: „Die ersten Griechischen Schiffer, welche an den südlichen Küsten des heutigen Calabriens landeten, fanden daselbst Weinreben und Weinbau; weil sie noch keinen andern Namen wüssten, nannten sie die Gegend Οἰνωτρία, das Weinland, und die Benennung blieb, als man durch häufigere Erfahrungen längst schon die wirklichen einzelnen Völkerschaften hatte kennen gelernt." His, quae *Servii* auctoritate — v. *eum* ad *Virg.* Aen. I, 536: *Oenotria* dicta est vel a vino optimo, i. e. οἴνῳ, quod in Italia nascitur; vel, ut *Varro* dicit, ab Oenotro, rege Sabinorum — confirmantur, assentiri non dubito. —

3) Nam praeterea, quod et *Dionys.* (L. I. c. 35 — V. loc. ips. transcriptum ad §. 3. n. 2.) et *Servius* (ad *Virgil.* Aen. VIII, 328: „Italia plura nomina habuit; dicta est enim Hesperia, Ausonia, Saturnia, Vitalia" —) haud obscuram nominis „*Vitalia*" mentionem habeant, vix dubitari posse videtur, quin „*Viteliu*" illud, quod in denariis tempore belli Marsici a Samnitibus signatis legitur idem sonuerit, quod Italia. Cf. *Nieb.* R. G. p. 20.

4) *Casaub.* ad *Strab.* L. I. p. 50; de v. *Σελλοί* et *Ἑλλοί* cf. *Strab.* VII. p. 328.

5) Huc pertinet nomen *Σαρδιαῖοι*, a *Casaubono* l. l. inter alia allatum, quod idem esse videtur, quod *Ἀρδιαῖοι*. Cf. *Strab.* L. VII, p. 314 ibique *Casaub.* — Addo haec: apud *Strab.* loco nescio quo *Σίδην* legitur, ubi, licet *Casaubon.* *Ἴδην* scribendum esse censeat, mea sententia nihil mutandum est. — Romuli matri, cui *Silviae* nomen fuisse nemini non notum est, etiam *Iliae* nomen a veteribus scriptoribus dari videmus. Quae res, satis probabili, quod equidem intelligam, ratione ita explicatur, ut nom. „*Ilia*" duplex habuisse digamma, statuamus, quorum alterum cum S, alterum cum V littera commutatum esse.

6) V. *Nieb.* R. G. I. p. 49, n. 122.— *Eberti* Dissertt. Sicull. p. 51. —

7) *Strabo* L. VI. p. 257 extr. *Ἀντίοχος δὲ τοπαλαιὸν ἅπαντα τὸν τόπον τοῦτον οἰκῆσαι Σικελούς φησι.*

8) *Thuc.* L. VI. 2.

9) Cf. locos *Servii* supra (ad §. 3. n. 4.) allatos. — Haec h. l. commemorasse et Lectores ad *Niebuhr.* R. G. p. 49 delegasse, quum de eadem re infra denuo disserendum sit, sufficiet. Placet tamen locis a *Nieb.* commemoratis praeter locum *Strabonis*, quem n. 7. transcriptum dedimus, etiam hos addere: *Schol.* ad *Dionys. Perieg.* v. 371, ubi *Λακινιάδος δόμος Ἥρης Crotoni* urbi attribuitur, haec habet: τὸ *Λακίνιον ὄρος ἐστὶ Κρότωνος καὶ Λακινιάδος δόμον φησὶ τῆς Σικελικῆς. Λακίνιον γὰρ τόπος τῆς Σικελίας. Μέμνηται αὐτοῦ δὲ καὶ Θεόκριτος καὶ ποταμὸν ὄντα Λακίνιον.* Adde *Schol. Theocr.* IV, 32 *ἐν Σικελίᾳ ἔκτισε Κρότωνα.* More Graecorum posterioris temporis etiam *Steph.* Byzant. inferiori Italiae parti

Siciliae nomen passim tribuit. V. *Holsten.* in nott. ad *Steph. Byz.* s. v. *Φοιβία* p. 347. —

Ad §. 5.

1) Quapropter C. O. *Mülleri* quoque, Prof. Gotting. Cl., libros, qui in simili argumento tractando versantur, consulto non legi.

Ad §. 6.

1) *Strabo* L. V. p. 221. *Νομίζειν φησὶν Ἔφορος (τοὺς Πελασγοὺς) ἀνέκαθεν Ἀρκάδας ὄντας ἑλέσθαι στρατιωτικὸν βίον· εἰς δὲ τὴν αὐτὴν ἀναγωγὴν προτρέποντας πολλοὺς, ἅπας τοῦ ὀνόματος μεταδοῦναι καὶ πολλὴν ἐπιφάνειαν κτήσασθαι καὶ παρὰ τοῖς Ἕλλησι καὶ παρὰ τοῖς ἄλλοις, παρ᾽ ὅσους ποτὲ ἀφιγμένοι τετυχήκασι.*

2) *Ephorus Cumaeus*, quem fragmentorum editor, *Meierus Marx*, Ol. XCIII, 4 nat., mort. c. Ol. CIX, 4 putat, Plutarcho et Diodoro auctoribus *Alexandri M.* aequalis fuisse videtur. Universam tum Graecorum tum barbararum gentium historiam inde a reditu Heraclidarum usque ad Ol. CIX, 4 triginta libris complexus est.

3) *Strabo* L. V. p. 220. *τοὺς δὲ Πελασγοὺς ὅτι μὲν ἀρχαῖόν τι φῦλον κατὰ τὴν Ἑλλάδα πᾶσαν ἐπεπόλασε καὶ μάλιστα παρὰ τοῖς Αἰολεῦσι τοῖς κατὰ Θετταλίαν, ὁμολογοῦσιν ἅπαντες σχεδόν τι.* Id. XIII p. 621 *οἱ Πελασγοὶ μέγα ἦν ἔθνος.*

Id. VII, p. 327. *Οἱ Πελασγοὶ τῶν περὶ τὴν Ἑλλάδα δυναστευσάντων ἀρχαιότατοι λέγονται.*

4) Loci vett. scriptt. infra afferentur.

5) *Πολύπλανον δὲ καὶ ταχὺ τὸ ἔθνος πρὸς ἐπαναστάσεις, ηὐξήθη τε ἐπὶ πολὺ καὶ ἀθρόαν ἔλαβε τὴν ἔκλειψιν, καὶ μάλιστα κατὰ τὴν τῶν Αἰολέων καὶ τῶν Ἰώνων περαίωσιν εἰς τὴν Ἀσίαν.* *Strabo* L. XIII. p. 621.

6) *Ἦν γὰρ δὴ τὸ τῶν Πελασγῶν γένος Ἑλληνικὸν ἐκ Πελοποννήσου τἀρχαῖον· ἐχρήσατο δὲ τύχαις δυσπότμοις εἰς πολλὰ μὲν καὶ ἄλλα, μάλιστα δ᾽ εἰς τὴν πολύπλανόν τε καὶ οὐδενὸς τόπου βέβαιον οἴκησιν.* *Dionys. Halic.* Antiqu. Rom. I. p. 14 ed. Sylb.

7) V. *Niebuhr.* R. G. I. p. 31. —

8) *Πελασγοὶ Αἰγιαλέες* *Herod.* VII, 94.

9) *Herod.* I. 146 *Ἀρκάδες Πελασγοί; Pausan.* VIII. in.; *Apollod.* III. c. 8; *Hesiod.* ap. Strab. L. V. p. 221; quibus addi potest *Ephorus* — v. n. 1. —

10) *Dionys. Halic.* L. I. p. 14. Ed. *Sylb.; Eurip.* ap. *Strab.* l. l.; *Aeschyl.* in supplicc. v. 250 (veruntamen de h. l. cf. n. 14.); *Schol.* ad *Eurip.* Orest., cujus locum exhibet *Kuhnius* ad *Paus.* L. VIII. in. — *Strabo* VII. 2 et VIII. 6.

11) *Pausan.* L. VII. in.

12) *Servius* ad *Virg.* Aen. VIII. 600: „Veteres sacrasse *Pelasgos.*" De his varia est opinio. Nam alii eos ab Atheniensibus, alii a *Lacedaemonibus*, alii a Thessalis dicunt originem ducere etc. —

13) L. IV. in.

14) *Ephor.* ap. *Strab.* L. V. p. 221 *καὶ τὴν Πελοπόννησον — Πελασγίαν φησὶν Ἔφορος κληθῆναι; Aesch.* l. supra l. — v. locum ipsum infra, n. 35. — Verba *τήνδε χθόνα* ita esse interpretanda, ut de *tota Peloponneso*, nec de *sola Argolide* dicta esse putentur, vel ex eo patet, quod eandem terram *Apiam* antiquitus vocatam esse poëta dicit, quod totius peninsulae nomen fuisse satis constat. Cf. n. 36. *Apollod.* II, 1, 1 *Νιόβης δὲ καὶ Διὸς, ᾗ πρώτῃ γυναικὶ Ζεὺς θνητῇ ἐμίγη παῖς Ἄργος ἐγένετο, ὡς δὲ Ἀκουσιλαός φησι καὶ Πελασγὸς, ἀφ' οὗ κληθῆναι τοὺς μὲν Πελοπόννησον οἰκοῦντας Πελασγούς. Ἡσίοδος τὸν Πελασγὸν αὐτόχθονά φησιν εἶναι. Schol. Apollon. Rhod.* de Peloponneso refert: *τὸ παλαιὸν Πελασγὶς ἐκαλεῖτο. Plin.* H. n. L. IV. 4: Peloponnesus Apia ante appellata et Pelasgia. *Herod.* L. II. 171 *αἱ Δαναοῦ θυγατέρες ἦσαν αἱ τὴν τελετὴν ταύτην (τὴν τῆς Δήμητρος) ἐξ Αἰγύπτου ἐξαγαγοῦσαι καὶ διδάξασαι τὰς πελασγιώτιδας γυναῖκας* i. e. Peloponnesiacas mulieres; v. quae sequuntur. —

15) *Ἀθηναῖοι ἐπὶ μὲν Πελασγῶν ἐχόντων τὴν νῦν Ἑλλάδα καλεομένην ἦσαν Πελασγοὶ, οὐνομαζόμενοι Κραναοί* - *Herod.* VIII. 44; cf. I, 56. 7.

16) *Nieb.* R. G. I, p.

17) *Strab.* L. IX. p. 401.

18) *Dionys. Halic.* Antiq. Rom. L. I. p. 14. Ed. *Sylb.* —

19) *Herod.* L. II. c. 51. *Ταῦτα μὲν νῦν καὶ ἄλλα πρὸς τούτοισι* (*τὰ οὐνόματα τῶν Θεῶν*, v. c. 50), *τὰ ἐγὼ φράσω, Ἕλληνες ἀπ' Αἰγυπτίων νενομίκασι· τοῦ δὲ Ἑρμέω τὰ ἀγάλματα ὀρθὰ ἔχειν τὰ αἰδοῖα ποιεῦντες, οὐκ ἀπ' Αἰγυπτίων μεμαθήκασι, ἀλλ' ἀπὸ Πελασγῶν, πρῶτοι μὲν Ἑλλήνων ἁπάντων Ἀθηναῖοι παραλαβόντες, παρὰ δὲ τούτων ὧλλοι. Ἀθηναίοισι γὰρ ἤδη τηνικαῦτα ἐς Ἕλληνας τελέουσι Πελασγοὶ σύνοικοι ἐγένοντο ἐν τῇ χώρῃ ὅθεν περ καὶ Ἕλληνες ἤρξαντο νομισθῆναι. Ὅστις δὲ τὰ τῶν Καβείρων ὄργια μεμύηται, τὰ Σαμοθρήϊκες ἐπιτελέουσι, παραλαβόντες παρὰ Πελασγῶν, οὗτος ὡνὴρ οἶδε, τὸ λέγω. Τὴν γὰρ Σαμοθρηΐκην οἴκεον πρότερον Πελασγοὶ οὗτοι, τοίπερ Ἀθηναίοις, σύνοικοι ἐγένοντο καὶ παρὰ τούτων Σαμοθρήϊκες τὰ ὄργια παραλαμβάνουσι κ. τ. λ.*

20) *Pausan.* L. IX c. 25. Operae pretium est, quae maximi momenti sunt, transcribere: *τοσούτων δὲ δηλῶσαί με καὶ εἰς ἅπαντας ἐκώλυσεν οὐδὲν, ἥντινα λέγουσιν ἀρχὴν οἱ Θηβαῖοι γενέσθαι τοῖς δρωμένοις. Πόλιν γάρ ποτε ἐν τούτῳ φασὶν εἶναι τῷ χωρίῳ* (i. e. in Thebarum vicinitate, ubi *Δήμητρος Καβειρίας καὶ Κόρης ἐστὶν ἄλσος καὶ τὸ τῶν Καβείρων ἱερόν*) *καὶ ἄνδρας ὀνομαζομένους Καβείρους. Προμηθεῖ δὲ ἑνὶ τῶν Καβειραίων καὶ Αἰτναίῳ τῷ Προμηθέως ἀφικομένην Δήμητραν ἐς γνῶσιν παρακαταθέσθαι σφίσιν. Ἥτις μὲν δὴ ἦν ἡ παρακαταθήκη καὶ τὰ εἰς αὐτὴν γινόμενα οὐκ ἐφαίνετο ὅσιόν μοι γράφειν. Δήμητρος γοῦν Καβειραίοις δῶρόν ἐστιν ἡ τελετή. κ. τ. λ.*

21) *Strabo* L. V, p 220 1 ill. p. 369, *Hieronym.* ap. *Strab.* L. IX. p. 443; *Dionys.* I. p. 14 ed. S., alii. Cf. *Nieb.* p. 32. —

22) *Nieb.* R. G 1. l. — Quodsi *Niebuhrius* dicit, *Herodotum* contra communem reliquorum Graecorum sententiam *Epirotas* inter *Hellenicas* nationes numerare, noli putare — id quod Tibi, si, *Herodoto* ipso non inspecto, ea legis, quae *Nieb.* p. 27 et 32, disseruit, ubi in locum „*Polybius* Nachsicht" — „*Herodotus* Nachs." substituendum est, facillime accidere possit — *Herodotum* negare, *antiquos Epiri* incolas e *Pelasgorum* numero fuisse et inter *Hellenes*, quatenus hi *Pelasgis* opponuntur, refe-

rendos esse. Tantum enim abest, ut hoc dicat, ut diserte, *Epirum* antiquis temporibus *Pelasgorum* sedem fuisse, altero locorum a *Nieb.* allatorum significetur. L. II. c. 56 enim haec leguntur *δοκέει ἐμοὶ ἡ γυνὴ αὕτη τῆς νῦν Ἑλλάδος, πρότερον δὲ Πελασγίης καλευμένης τῆς αὐτῆς ταύτης, πρηθῆναι ἐς Θεσπρωτούς.* Hoc solum efficitur ex illis locis, *Herodotum Epirotas* aevi sui et *Solonis* — nam quod altero loco L. VI. c. 127 narratur *Solonis* tempore factum esse scimus — non amplius barbaris, quod *Thucydidem* fecisse videmus, sed *Hellenibus* adnumerandos esse censuisse; et, mea quidem sententia, jure optimo, quum verisimillimum sit, *Herodoti* et *Solonis* aetate *Epirotas* non minus, quam reliquos *Pelasgos*, qui *Graeciam*, quae proprie vocatur, incoluerant, jam dudum conversos esse in Hellenes, inprimis *Molossos*, de quibus altero loco agitur, quam nationem *Pyrrhi*, Achillis nepotis, ejusque posterorum imperio subjectam fuisse *Strabo* tradit (L. VII. p. 326 ed. *Casaub.*) —

23) *Strabo* L. IX, p. 434.

24) *Homer.* Il. L. IX, v. 484. „*ἐσχατιὴν Φθίης,*" quem loc. etiam *Strabo* laudat.

25) *Strabo* l. l.; *Scymn.* v. 614.

26) *Thuc.* L. VI. ult.

27) Cf. *Nieb.* R. G. I. p. 33. —

28) *Strabo* L. VII. 321 et 26 (cll. X. 450) eos diserte *Epiroticis* nationibus adnumerat.

29) *Nieb.* l. l. —

30) V. *Strab.* L. VII. p. 326 extr. et L. IX, p. 434.

31) *Strabo* l. l. — cui adstipulatur *Stephanus Byzant.* *Ὀρεσται Μολοσσικὸν ἔθνος κ. τ. λ.*

32) V. §. 8. —

33) *Herod.* L. II. c. 56. (V. not. antec.)

34) *Id* L. VIII. 43 (V. n. 15.). —

35) *Aeschyli* Suppll. v. 250 sqq. (Ed. *Schützii* v. 265 sqq.)

Τοῦ γηγενοῦς γάρ εἰμ' ἐγὼ Παλαίχθονος
ἶνις Πελασγοῦ (?), *τῆσδε γῆς ἀρχηγέτης.*

Ἐμοῦ δ᾽ ἄνακτος εὐλόγως ἐπώνυμον
γένος Πελασγῶν τήνδε καρποῦται χθόνα,
καὶ πᾶσαν αἶαν, ἧς δι᾽ Ἄλγος ἔρχεται
Στρύμων τε, πρὸς δύνοντος ἡλίου κρατῶ.
Ὁρίζομαι δὲ τήν τε Περῤῥαίβων χθόνα
Πίνδου τε τἀπέκεινα, Παιόνων πέλας,
ὄρη τε Δωδωναῖα· συμτέμνει δ᾽ ὅρος
ὑγρᾶς θαλάσσης· τῶνδε κἀπὶ τάδε κρατῶ. —

Loco: „*Πελασγοῦ*“ — *Πελασγός* legendum esse nemo non videt; et recepit in textum hanc lectionem, *Canterum* sequutus, *Schützius*. — Qui sit *Algus* fluvius, me cum doctissimis viris ignorare, non est, quod dissimulem, quum, ut *Stanlejanis* verbis utar, de ejusmodi fluvio ne *γρῦ* quidem auctores antiqui habeant. Nomen corruptum esse, negari non posse videtur; nec tamen facile, quae vera sit lectio, inveneris. Nam inter conjecturas VV. DD. maxime quidem probabilis est et quasi sponte offertur, ea, qua *Ἄξιος* legendum esse statuitur, neque tamen ea, ut veram eam esse pro certo affirmaverim. —

36) *Schol.* ad *Lycophr.* Cassandr. v. 177 (ed. *Basil.* p. 38.) *Νιόβης τῆς Ἄπιδος ἀδελφῆς καὶ Διὸς Ἄργος, ἀφ᾽ οὗ ἡ χώρα·* (i. e. Peloponnesus Argos vocata est; v. quae antecedunt.) *κατὰ δὲ Ἀκουσίλαον καὶ Πελασγὸς σὺν Ἄργῳ, ἀφ᾽ οὗ ἡ ἀπὸ Πελοποννήσου χώρα, ἡ καὶ Ἀπία λεγομένη, μέχρι Φαρσαλίας καὶ Λαρίσσης Πελασγία ἐκλήθη κ. τ. λ.*

37) *Ἡ Βοιωτία πρότερον μὲν ὑπὸ βαρβάρων ᾠκεῖτο, Ἀόνων καὶ Τεμμίκων, ἐκ τοῦ Σουνίου πεπλανημένων* — *Strabo* L. IX. p. 401.

38) *Aristot.* ap. *Strab.* VI. p. 322; *Pausan.* I. c. 39.

39) V. *Strab.* IX. p. 392.

40) *Strabo.* VI. p. 321. —

41) Hoc ne sine ratione dixisse videamur, afferamus locum *Herodoti*, apud quem L. VIII. c. 73 haec leguntur: *οἰκέει δὲ τὴν Πελοπόννησον ἔθνεα ἑπτά. Τουτέων δὲ τὰ μὲν δύο αὐτόχθονα ἐόντα κατὰ χώρην ἵδρυται νῦν, τῇ καὶ τοπάλαι οἴκεον, Ἀρκάδες τε καὶ*

Κυνούριοι· ἓν δὲ ἔθνος, τὸ Ἀχαϊκὸν, ἐκ μὲν Πελοποννήσου οὐκ ἐξεχώρησε, ἐκ μέντοι τῆς ἑωυτῶν, οἰκέει δὲ τὴν ἀλλοτρίην. Τὰ δὲ λοιπὰ ἔθνεα τῶν ἑπτὰ τέσσερα ἐπήλυδά ἐστι, Δωριέες τε καὶ Αἰτωλοὶ καὶ Δρύοπες καὶ Λήμνιοι. κ. τ. λ. De *Cynuriis* cf., quae eod. l. docentur. —

42) De *Pelasgis* supra jam vidimus; de *Lelegibus* v. *Pausan.* in *Laconicc.* in. —

43) *Cares* multorum opinione iidem, qui *Leleges*, sunt, quum alii hos eorum *συνοίκους καὶ συστρατιώτας* tantum fuisse perhibeant. V. §. 9, 4. —

44) *Ἥτε νῦν Ἰωνία λεγομένη πᾶσα ὑπὸ Καρῶν ᾠκεῖτο καὶ Λελέγων· ἐκβαλόντες δὲ τούτους οἱ Ἴωνες αὐτοὶ τὴν χώραν κατέσχον.* *Strabo* L. VII, p. 321; ib. XIV, p. 632. 5. 40.

45) *Μενεκράτης — ὁ Ἐλαΐτης ἐν τοῖς περὶ κτίσεών φησι, τὴν παραλίαν τὴν νῦν Ἰωνικὴν πᾶσαν, ἀπὸ Μυκάλης ἀρξαμένην, ὑπὸ Πελασγῶν οἰκεῖσθαι πρότερον καὶ τὰς πλησίον νήσους.* *Strabo* L. XIII, p. 621.

46) *Strabo* L. XIII, p. 605 sqq. — *Alcaei* verba a *Strabone* laudata haec sunt:

Πρῶτα μὲν Ἄντανδρος Λελέγων πόλις.

47) *Herod.* VII, 42: *Ἄντανδρον τὴν Πελασγίδα.* —

48) *ἡ κατὰ Ἀμαξιτὸν τῆς Τρωάδος.* *Strabo.* L. IX, p. 440; XIII, p. 620. —

49) Sic in *Thessalia* duas Larissas, alteram ad Peneum fluvium, alteram ad Ossam montem; in *Peloponneso* item duas, Theopompo quidem teste, quarum altera *ἡ τῶν Ἀργείων ἄκρα* erat, altera in Elide haud procul a fluvio cognomine constituta erat; in *Attica* unam sitas fuisse, *Strabo* loco laudato (L. IX, p. 440) tradit. *Pelasgos*, qui etiam belli Trojani tempore orae Asiae minoris, quae occidentem solem spectat, partem possidebant, Larissam urbem incoluisse, post *Homerum* (Il. II. v. 841) docuit idem *Strabo* ll. ll. — *Dionys. Halic.* (I. c. 22) Larissam urbem a Pelasgis in Italia conditam esse prodit. Verba haec sunt: *οἱ Πελασγοὶ πόλεις αὐτόθι* (i. e. in Campania) *κατεσκεύασαν ἄλλας τε*

καὶ Λάρισσαν, ἀπὸ τῆς ἐν Πελοποννήσῳ σφῶν μητροπόλεως ὄνομα θέμενοι αὐτῇ κ. τ. λ.

50) Collectis igitur locis veterum scriptorum, qui ad rem pertinere videantur, cetera Lectoris prudentis judicio permittimus. *Strabo* (L. VII. p. 322) ex loco *Hesiodeo*, ubi *Leleges* λεκτοὶ ἐκ γαίης dicuntur, recte colligere sibi posse videtur, eos fuisse collectitiam quandam et mixtam ex variis populis multitudinem. (Locum illum corruptum esse recte quidem monuit *Casaubonus*, sed in eo emendando atque explicando ita versatus est, ut, si eum ducem sequaris, vera loci vis prorsus te fugiat necesse sit. Equidem locum sic restituendum esse puto. In loco *Hesiodeo* —

Ἤτοι γὰρ Λοκρὸς Λελέγων ἡγήσατο λαῶν,
Τοὺς ῥά ποτε Κρονίδης Ζεὺς ἄφθιτα μήδεα εἰδὼς
Λεκτοὺς ἐκ γαίης ἀλέους πόρε Δευκαλίωνος.

omnia sana atque integra sunt, praeter unam vocem ἀλέους, quam interpolatam esse, nemo non videt. Hanc cum v. λαοὺς commutandam esse conjecerim, quod num ab alio jam suasum sit nescio. Tum, quae a *Strabone* ad explicandum hunc locum addita sunt, quaeque vulgo sic leguntur: τῇ γὰρ ἐτυμολογίᾳ τὸ Λεκτοὺς γεγονέναι τινὰς κ. τ. λ. sic mihi videntur constituenda esse: τῇ γὰρ ἐτυμ. τοῦ Λεκτοὺς τὸ συλλέκτους (quod in nonnullis Mss. pro λεκτοὺς exstare, *Casaubonus* docet) γεγονέναι τινὰς ἐκ παλαιοῦ καὶ μιγάδας αἰνίττεσθαί μοι δοκεῖ· καὶ διὰ τὸ ἐκλελοιπέναι τὸ γένος, ἅπερ ἄν τις καὶ περὶ τῶν Καυκώνων λέγοι, νῦν οὐδαμοῦ ὄντων, πρότερον δ' ἐν πλείοσι τόποις κατῳκισμένων. Haec omnia ut nulla mutatione indigent, ita non difficilia sunt ad explicandum.) Cum hoc loco comparandus est *Dionysius* (Antiqu. Roman. I, p. 8), qui plane idem dicit: Κινδυνεύει δὴ κατὰ τούτους μηδὲν διαφέρειν τὸ τῶν Ἀβοριγίνων φῦλον, ὧν ἐκάλουν οἱ παλαιοὶ Λελέγων — haec *Stephani* lectio quin pro vulgata δὴ λέγω recipienda sit, mea quidem sententia dubium esse omnino non potest — τοῖς γὰρ ἀνεστίοις καὶ μιγάσι καὶ μηδεμίαν γῆν βεβαίως ὡς πατρίδα κατοικοῦσι ταύτην ἐπετίθεντο ἐπωνυμίαν ὡς τὰ πολλά. Adde *Strabon.* L. XII. p. 572 τό τε γὰρ Πελασγῶν ἦν φῦλον καὶ Καυκώνων καὶ Λελέγων·

εἴρηται δ' ὅτι πολλαχοῦ τῆς Εὐρώπης ἐτύγχανε τοπαλαιὸν πλανώμενα, ἅπερ ποιεῖ τοῖς Τρωσὶ συμμαχοῦντα ὁ ποιητὴς οὐκ ἐκ τῆς περαίας. *Id.* ib. p. 570 *Pisidis* antiquitus permixtos dici *Leleges* refert, haec addens: *πλανήτας ἀνθρώπους καὶ συμβῆναι διὰ τὴν ὁμοιοτροπίαν αὐτόθι.* Cf. praeterea *eund.* L. XIII. p. 611. —

51) *Apollod.* IV. 8, 1. — Cf. praeterea *Strabo* l. modo allato L. XII. p. 572. et VI. p. 322. —

52) V. §. 9. n. 17. —

53) *Herod.* L. I. c. 56. *Croesum*, narrat *Herodotus*, sciscitatum, quinam *Graecorum* omnium maxime opibus et potentia florerent, comperisse *Λακεδαιμονίους καὶ Ἀθηναίους προέχοντας, τοὺς μὲν τοῦ Δωρικοῦ γένεος, τοὺς δε τοῦ Ἰωνικοῦ. Ταῦτα γὰρ ἦν τὰ προκεκριμένα ἐόντα τοαρχαῖον· τὸ μὲν Πελασγικὸν, τὸ δὲ Ἑλληνικὸν ἔθνος. Καὶ τὸ μὲν οὐδαμῇ κω ἐξεχώρησε, τὸ δὲ πουλυπλάνητον κάρτα. ἐπὶ μὲν γὰρ Δευκαλίωνος βασιλῆος οἴκεε γῆν τὴν Φθιῶτιν, ἐπὶ δὲ Δώρου τοῦ Ἕλληνος τὴν ὑπὸ τὴν Ὄσσαν τε καὶ τὸν Οὔλυμπον χώρην, καλεομένην δὲ Ἱστιαιῶτιν. ἐκ δὲ τῆς Ἱστιαιώτιδος ὡς ἐξανέστη ὑπὸ Καδμείων, οἴκεεν, ἐν Πίνδῳ Μακεδνὸν καλεόμενον. ἐνθεῦτεν δὲ αὖτις ἐς τὴν Δρυοπίδα μετέβη, καὶ ἐκ τῆς Δρυοπίδος οὕτως ἐς Πελοπόννησον ἐλθὸν Δωρικὸν ἐκλήθη.* — Locus impeditus et a multis prave intellectus. Cujus quae vera vis sit, ut perspiciatur, primum verborum interpungendorum ratio ita mutanda est, ut post v. *προκεκριμένα* *comma* inseratur, *colon* autem, quod post *τοαρχαῖον* vulgo positum est, deleatur; tum tenendum est, *τό μὲν* ante v. *Πελασγικόν* referendum esse minime ad verba *Δωρικὸν γένος*, sed ad vv. *Ἰωνικὸν γ*, item *τὸ δὲ* ante verba *Ἑλληνικὸν ἔθνος* non ad vv. *Ἰωνικὸν γ.*, sed ad *Δωρικὸν γ.* — Nam quamvis hanc loquendi rationem hoc loco aliquid offensionis habere; negari non possit, quum earundem vocularum usui, qualis tum in iis est, quae antecedunt, tum in iis, quae proxime sequuntur, contraria sit, nihil tamen est, quod multis demonstremus, rationem a nobis propositam unam esse veram. Nam quicunque harum rerum vel modice peritus est, sponte hoc intelligit. Sed non solum rem sic se habere pro certo affirmari, etiam demonstrari potest quare sic loquutus sit Herodotus.

Quod facile perspicies mutata ad eum, quem supra indicavi, modum verborum interpungendorum ratione. Tum enim verba: ἐόντα τοαρχαῖον jungenda sunt cum sequentibus: τὸ μὲν κ. τ. λ. Jam vero rectissime quidem dici potuit: ἐὸν τοαρχαῖον Πελασγικὸν ἔθνος, minime vero ἐὸν τοαρχαῖον Ἑλληνικὸν ἔθνος; nam *Jonica* gens *antiquitus* — τοαρχαῖον — erant *Pelasgi, Herodoti* et *Croesi* temporibus *Hellenes*; *Dorica* non solum *antiquitus Hellenes*, sed et *Croesi* et *Herodoti* et omni omnino tempore. Itaque quum v. τοαρχαῖον ad sola verba: Πελασγικὸν ἔθνος pertineret, haec necessaria primo loco ponenda et cum illo vocab. jungenda erant. — Sed in his omnes facile mihi esse assensuros spero; si vero in iis, quae sequuntur, verba τὸ μὲν — τὸ δὲ ita intellecta volo, ut priora idem sonent, atque: *Pelasgica gens*, posteriora idem, atque: *Hellenica*, video jam, fore, ut in multorum incurram improbationem, qui, etiamsi non — id quod multis viris doctissimis iis quidem, sed parum attentis accidere memini, — verba τὸ μὲν ad *Hellenes*, τὸ δὲ ad *Pelasgos* referenda esse censeant, tamen erroris me insimulabunt, qui de *universis gentibus* et *Pelasgica* et *Hellenica* dicta esse existimem, quae non pertineant nisi ad earundem partes, ad *Dorienses* et ad *Jones*, vel, id quod magis fortasse iis arriserit, ad solos *Atticae* incolas. Hisce ego hoc responsum volo, minime me quidem ignorare, quae ad defendendam hanc sententiam proferri possint, tamen, rationibus omnibus bene perpensis, facere non posse, quin, quam supra posuerim, sententiam amplectar. Quibus motus rationibus hoc faciam, partim ex iis, quae infra disputabuntur, apparebit. —

53) b. Quae hic significata sunt, infra, ubi de *Pelasgis Italiam* incolentibus exponemus, fusius explicabuntur.

54) Cf. *Nieb.* R. G. I. p. 178. 9.

Ad §. 7.

1) *Herod.* I. c. 56. —

2) *Id.* ib. c. 58 (*τὸ Ἑλληνικὸν ἔθνος*) — *ἀποσχισθὲν μέντοι ἀπὸ τοῦ Πελασγικοῦ κ. τ. λ.*, Hellenica natio, postquam a Pelasgica segregata est, etc.

2) b. Repugnare quidem videtur, quod ab eodem *Herodoto* L. I. c. 57 traditum est, ubi demonstrare conatus est, fuisse *Pelasgos βάρβαρον γλῶσσαν ἱέντας*. Sed infra demonstrabitur, nec secum ipsum pugnare *Herodotum*, nec idoneam causam his verbis inesse, quare sententiam propositam mutandam esse censeamus.

3) Cf. *Strabo* L. IX. p. 431. 2.; VIII. p. 370. *Pausan.* L. III. c. XX. med. — *καθ' ὅτι καὶ Ἕλληνας τὸ σύμπαν γένος ἀπὸ τῆς ἐν Θεσσαλίᾳ ποτὲ καλουμένης Ἑλλάδος* (sc. *ἐξενίκησεν ὀνομασθῆναι*) *Plin.* H. n. IV. c. 7. Locos *Homericos* ap. *Strabon.* habes laudatos et explicatos.

4) Locus exstat *Meteor.* I. c. 14 (ed. *Casaub.* p. 337. H.) Philosophus, postquam magnis temporis spatiis interjectis ingentes eluviones fieri solere docuit, sic pergit: *ὥσπερ ὁ καλούμενος ἐπὶ Δευκαλίωνος κατακλυσμός· καὶ γὰρ οὗτος περὶ τὸν Ἑλληνικὸν ἐγένετο μάλιστα τόπον, καὶ τούτου περὶ τὴν Ἑλλάδα τὴν ἀρχαίαν· αὕτη δ' ἐστὶν ἡ περὶ τὴν Δωδώνην καὶ τὸν Ἀχελῷον· οὗτος γὰρ πολλαχοῦ τὸ ῥεῦμα μεταβέβληκεν — ᾤκουν γὰρ οἱ Σελλοὶ ἐνταῦθα καὶ οἱ καλούμενοι τότε μὲν Γραικοί, νῦν δὲ Ἕλληνες.* Negari non potest, hunc locum cum omnibus aliorum scriptorum, qui de *Hellade antiqua* exponunt, pugnare. Quam pugnam ut dirimerem, conjeceram, Philosophum non notissimum illum *Graeciae* fluvium intelligi voluisse, cujus fontes in *Pindo* monte sunt, quique in *mare Jonicum* effunditur, sed *Phthiotidis* fluvium ejusdem nominis, qui in *Othrye* monte oritur et in *Malaicum sinum* influit, ita ut non solum regiones, quae circa *Dodonam* et hunc *Acheloum* fluvium sitae, sed etiam quae iis interjectae sunt, significatae essent. Quam tamen conjecturam jam mihi ipsi non satis probari, non est quod dissimulem. Utut autem haec res se habet, hoc quidem constare videtur, *duos*, non *unum* populum esse, qui regi-

onem quamcunque intellexit *Aristoteles*, habitasse dicuntur: et Σελλοὺς et Γραικοὺς, quibus postea Ἕλληνες nomen factum sit, quorum alterum ex aliorum scriptorum locis — cf. v. c. *Strabo* VII. p. 328. — circa *Dodonam*, alterum in *Phthiotide* coluisse scimus. Et si quis Sellos istos, quos etiam Ἑλλοὺς vocitatos esse negari non potest, — v. *Strab.* l. l. — eosdem esse atque *Hellenes* contendat, ita ut horum nomen ex illorum ductum esse censeat, hoc quidem faciat licet, modo ne *Aristotelem* hujus sententiae auctorem in medium producat, quem eos diserte distinguere vidimus.

5) *Herod.* I. c. 56.

6) *Οἴκεεν ἐν Πίνδῳ.* Persuasissimum mihi est, haec verba ita esse interpretanda, ut *Pindum montem* ab *Herodoto* intellectum esse statuamus, neque vero *Pindum urbem*, quod persuadere conatus est *Larcherius* in adnott. ad *Herod.* l. l. (V. *Ejus* histoire d'Hérodote traduite du Grec à Paris 1802 T. I. p. 277.) argumentis usus, quae destituta esse ab omni probandi vi probare posse mihi videor. Nam 1. omisso articulo, quem vocant, nihil, utrum mons significatus sit, an urbs, definitur. Quod quo magis in aperto sit, libri a *Mannerto* V. Cl. editi locum apponam. Verba ejus haec sunt: „Die Westseite Thessaliens schliesst das Gebirge Pindus ein; diess versichern uns nach Herodot alle spätern Schriftsteller. Sie sprechen oft von diesem Gebirge, *lassen aber immer den Artikel weg* oder behandeln es, wie Ptolemaeus, als Neutrum, und Strabo vermehrt unsere Ungewissheit, indem er bei den vielen Stellen, in welchen von ihm die Rede ist, eben so häufig ὁ Πίνδος als ἡ Πίνδος schreibt.“ Reliqua v. ap. ipsum (*Geogr.* der Griechen und Römer 7ter Theil, Landshut 1812, p. 564.) — 2. *Larcherius* quaerit, quomodo a *Pindo monte* in *Dryopidem*, satis longo intervallo ab illo distantem, pervenire potuerint; — ego vero respondeo, hoc neque facilius neque difficilius ad explicandum esse, quam qui, ex regionibus sub *Olympo* et *Ossa* montibus sitis profecti, *Pindum* urbem attingere potuerint, quum haec illa via non sit brevior. — Haec sufficiunt, opinor, ad refutanda ea argumenta, quibus *Larcherius* sententiam a se propositam confirmari voluit.

Sed afferri etiam possunt, quibus, fieri omnino non posse, ut locum de *Pindo urbe* interpretemur, efficitur. Nam *Pindus urbs*, quam unam quattuor urbium *Doricarum* — τετραπόλεως Δωρικῆς — fuisse satis constat — *Strabo* p. 427 — num tunc jam condita fuerit, equidem valde dubitaverim, quum a *Doriensibus* exstructam esse probabile sit; et si eam conditam fuisse sumas, tamen partem *Dryopidis* fuisse negare non poteris; nam ἡ Δωρὶς ἦν τοπαλαιὸν Δρυοπίς. *Herod.* VIII. c. 31. Itaque si *Larcherio* fidem haberemus, sequeretur, ut *Herodotus* nihil aliud diceret, nisi hoc: ex *Dryopide Dorienses* immigrarunt in *Dryopidem*. Omitto alia, quae comprobandae meae sententiae esse possint, ne in refellendo commento nimius fuisse videar, quod vix dignum videatur, in quod tantum temporis atque operae conferatur. Neç fecissem, ut tam copiose de hac re disseruissem, nisi probari hoc *Larcherii* decretum vidissem, viris, qui magna nec ea immerita auctoritate pollent.

7) De *Pelasgis Aegialenss.* v. *Herod.* VII. c. 94. Loquitur de *Jonibus*, *Asiae minoris* oram incolentibus: Ἴωνες, ὅσον μὲν χρόνον ἐν Πελοποννήσῳ οἴκεον τὴν νῦν καλευμένην Ἀχαΐην καὶ πρὶν ἢ Δαναόν τε καὶ Ξοῦθον ἀπικέσθαι ἐς Πελοπόννησον, ὡς Ἕλληνες λέγουσι, ἐκαλέοντο Πελασγοὶ Αἰγιαλέες· ἐπὶ δὲ Ἴωνος τοῦ Ξούθου Ἴωνες.

8) Ἀθηναῖοι ἐπὶ μὲν Πελασγῶν ἐχόντων τὴν νῦν Ἑλλάδα καλευμένην ἔσαν Πελασγοὶ, οὐνομαζόμενοι Κραναοί· ἐπὶ δὲ Κέκροπος βασιλῆος ἐπεκλήθησαν Κεκροπίδαι· ἐκδεξαμένου δὲ Ἐρεχθῆος τὴν ἀρχὴν, Ἀθηναῖοι μετωνομάσθησαν· Ἴωνος δὲ τοῦ Ξούθου στρατάρχεω γενομένου Ἀθηναίοισι, ἐκλήθησαν ἀπὸ τούτου Ἴωνες. *Herod.* VIII. 44. cll. I. 56. 7.

9) De *Xutho* ejusque filio *Jone Nostro* idem, quod *Pausaniae*, placuisse videtur, quum quae apud *Strabonem* leguntur ab utroque discrepent. *Pausanias* enim (L. VII. c. 1. in.) narrat: *Xuthum*, a reliquis Hellenis mortui filiis *Thessalia* ejectum, *Athenas* confugisse, ubi *Erechthei* regis filiam in matrimonium duxerit. Cujus post obitum quum *Cecropem*, filium Erechthei natu maximum, regem constituisset, pulsum a fratribus ejus, aegre hoc ferentibus, in

Aegialo constituta sede mortuum esse. Patre defuncto, alterum filiorum, *Achaeum*, paternum s. avitum regnum in Thessalia recuperasse; alterum, *Jonem*, quum *Aegialensium* rex factus esset, Jonibus nomen iis fecisse (*Jones Aegialenses*); eundemque, quum *Athenienses* belli ducem adversos Eleusinios elegissent, ipsum *Athenis* mortuum esse atque sepultum, posteris autem imperium in *Jones Aegialenses* mansisse. Qua cum narratione *Strabo* (L. VIII. p. 383) eatenus consentit, quatenus *Xuthum*, e *Thessalia* emissum et in *Atticam* profectum, *Erechthei* filiam uxorem duxisse prodit; dissentit, quatenus neutrum, neque *Xuthum*, neque *Jonem*, inde in *Peloponnesum* commigrasse narrat, sed alterum, patrem, *tetrapolim Atticam* condidisse, alterum, filium, devictis *Thracibus* tum reipublicae administrandae ab *Atheniensibus* esse praefectum, tum, multis aliis rebus praeclare gestis ac bene constitutis, iisdem et sui ipsorum et terrae nominis mutandi auctorem fuisse. Causam autem novi nominis cum *Aegialensibus* communicati docet *coloniam Jonicam* fuisse, missam ex *Attica*, incolarum multitudine abundante, in *Peloponnesum* minus incolis refertam. Cf. n. 14. —

10) Alterum a *Strabone* (l. l.), alterum a *Pausania* traditum est. *Ille* rem ita gestam esse narrat: *τῶν τούτου* (i. e. *Ξούθου*) *παίδων Ἀχαιὸς μὲν, φόνον ἀκούσιον πράξας, ἔφυγεν εἰς Λακεδαιμονίαν καὶ Ἀχαιοὺς τοὺς ἐκεῖ* (i. e. eos, qui *Argolidem* tenebant, quam tunc cum *Laconica* conjunctam fuisse notum est) *κληθῆναι παρεσκεύασεν; hic Achaeos*, qui ad ea usque tempora, ubi a *Doriensibus* ejecti sunt, *Argos* et *Laconicam* obtinebant, nomen acceptum retulisse *Achaei* filiis auctor est. Ipsum enim *Achaeum*, quod supra jam commemoravimus, patre mortuo in Thessaliam rediisse, unde *Archandrum* et *Architelem* filios ejus *Peloponnesum* repetiisse, ibique duas *Danai* filias uxores duxisse. *Δυνηθέντων δὲ*, pergit, *ἔν τε Ἄργει καὶ Λακεδαίμονι τῶν Ἀχαιοῦ παίδων, τοὺς ἀνθρώπους ἐνταῦθα ἐξενίκησεν Ἀχαιοὺς κληθῆναι.*

11) Quin eadem *Strabonis* (v. l. l.) sententia fuerit, quamvis *Aeoli* nomen apud eum non legatur, dubium esse non potest, nam sub *Hellenis filio natu maximo Aeolum* latere in aperto est.

Ceterum, qui haec *Strabonis* sententia orta sit, non difficile est ad intelligendum. *Dorienses* enim a *Doro* generis originem repetebant; itaque *Dorus* quoque in emissorum, ut alias sedes sibi quaererent, *Hellenis* filiorum numero habendus esse visus est; *Aeolum* in *Thessalia*, ubi *Hellenis* regnum constitutum fuisse, inter omnes conveniebat, remansisse, quin cum hujus terrae incolis nomen suum communicasse constabat; itaque consentaneum visum est, patrem huic soli regnum tradidisse.

12) De *Strabone* modo vidimus; *Pausan.* (l. supra l.) non adversatur, haec enim tradit: *ἀποθανόντος Ἕλληνος Ξοῦθον οἱ λοιποὶ τοῦ Ἕλληνος παῖδες διώκουσιν ἐκ Θεσσαλίας; Apollod.* (I. 7. 3) narratio discrepans illa quidem, sed vaga et parum accurata, quae diligentius perpendatur, non digna est.

13) *Herod.* VII. 95.: *Αἰολέες — τοπάλαι καλεόμενοι Πελασγοὶ, ὡς Ἑλλήνων λόγος.* V. quae infra de hac loquendi ratione disputabuntur.

14) *Herod.* I. 58: *τὸ Ἑλληνικὸν ἔθνος ἐὸν ἀσθενὲς ἀπὸ σμικροῦ τεο τὴν ἀρχὴν ὁρμεώμενον.*

15) Idem *Niebuhrio* placet, apud quem (R. G. I. p. 31.) haec leguntur: „Hier mag die Bemerkung ihren Ort finden, dass die Ausbreitung der Hellenen Aehnlichkeit mit der der Römer und Latiner in Italien hat: nämlich durch Ansiedelung einer Abtheilung unter einer verschiedenen nicht durchaus fremdartigen, weit zahlreichern Gemeine, die Sprache und Gesetze der unter ihnen wohnenden Pfianzbürger annahm. Quibus verbis ita assentimur, ut loco verborum: „nicht durchaus fremdartigen" „einer verwandten, die, zu demselben Volke gehörig, sich nur von diesem getrennt und unabhängig von demselben ausgebildet hatte" dicendum fuisse arbitremur. —

Ceterum praetereundum non esse existimo, *Strabonem* jam veram rationem, qua haec — liceat *Herodoteis* verbis uti — *ἐς Ἕλληνας μεταβολὴ* effecta sit, ceteris magis aperte significare, quum *Aegialeam* tenuisse *Ἴωνας ἐξ Ἀθηναιῶν τὸ γένος ὄντας* referat (L. VIII. p. 385.), his ad explicandam rem additis: postquam *Jon*, in *Atticam* profectus et rex ab *Atheniensibus* constitutus, multis

rebus praeclare gestis effecit, ut nomen a regis nomine ductum et sibi et terrae imponerent, tanta in hac terra exstitit hominum multitudo, *ὥστε καὶ ἀποικίαν τῶν Ἰώνων ἔστειλαν εἰς Πελοπόννησον Ἀθηναῖοι, καὶ τὴν χώραν ἣν κατέσχον ἐπώνυμον ἑαυτῶν ἐποίησαν, Ἰωνίαν ἀντ᾽ Αἰγιαλείας κληθεῖσαν, οἵτε ἄνδρες ἀντὶ Αἰγιαλέων Ἴωνες προσηγορεύθησαν. κ. τ. λ.* Praeterea hoc loco Lectores admonendi esse videntur, alienam esse a vero eam sententiam, qua omnes veteres scriptores originem nominis *Hellenum* ad *Hellenem* retulisse dicuntur, quum et *Herodotus Hellenicam* gentem ante *Hellenem* natum commemoret (v. I. 56.); et *Pausanias* diserte tradat, ductum esse *Hellenum nomen* ab *Hellade*, *Thessaliae* parte ea, quam antiquissimam gentis sedem fuisse supra jam dictum est. (v. n. 3. ad §. 7.) Quae *Pausaniae* verba quanquam non omni ex parte probare possumus, ita tamen comparata sunt, ut, quae vera rei ratio fuerit, non obscure iis significatum sit.

16) Ad illustrandam hanc rem haec addere placet: In ea terra, cui postea commune *Thessaliae* nomen inditum est, hae civitates ab *Aeolidis* conditae esse feruntur: *Jolcus* a *Cretheo*, Aeoli filio (*Apoll.* I. 9. 11), ad cujus filium, cui *Pheres* nomen fuit, urbis *Pherarum* prope Pelionem montem sitae origo refertur (ib. 14.); *Phylace* a *Phylaco*, Deionis filio, Aeoli nepote (*Apoll.* I. 9. 4. 12.); ab *Athamante*, filio Aeoli, ex Boeotia profugo — v. quae infra dicta sunt — *Athamania* (Athamanes?) (*Apoll.* I. 9. 2.). *Myrmidonum* origines repetuntur ab Aeolo per *Pisidicen*, Aeoli filiam, quae *Myrmidoni* nupsisse dicitur (*Apoll.* I. 7. 3.). *Magnes* filius Aeoli in terra, cui postea *Magnesia* nomen erat, civitatem constituisse et *Meliboeam* urbem exstruxisse fertur. (V. de eo ejusque posteris, qui deinceps ad Trojanum bellum hujus regionis imperium obtinuisse perhibentur — *Eustath.* ad Il. p. 338 cll. *Heynio* ad Apoll. II. 68; *Claviero* ad eund. II. 131.) Ceterum ex Aeoli filiis *Athamantem* primum *Boeotiae* regem factum esse, (*Apoll.* I. 9. 1. i. e. *Orchomeni* in Boeotia; v. *Heynium* ad h. l. nam in aliis *Boeotiae* portibus *Sisyphi* filium et posteros civitates constituisse proditum est; *Sisyphum Ephyram*, cui postero tempore

Corintho nomen datum est, condidisse (*Apoll.* I. I. 3.); *Deionem* in *Phocide* — nihil enim est, quod cum *Heynio* ad *Apoll.* I. 9. 4. loco „*Phocis*" „*Phthiotis*" legendum esse censeas — regnum sibi parasse; *Salmoneum* in Elide urbem aedificasse, eodemque *Endymionem*, Aeoli ex *Calyce* nepotem, coloniam deduxisse (*Apoll.* I. 7. 5); *Perierem*, quem tamen alii Cynortae filium faciunt, *Messenen* occupasse — traditum est. — Qui praeter *Arcades* de Graeciae populis soli reliqui sunt, *Locrenses*, tum *Ozolae*, tum, qui antiquis hisce temporibus cum *Opuntiis* conjuncti, eorundem regum imperio subjecti erant, *Epicnemidii*, ad ipsius *Deucalionis filios*, *Orestheum et Amphictyonem* rerum suarum origines referebant. (*Pausan.* X. 38.; *Eustath.* ad Il. II. 531.)

16) b. *Achaei* enim propterea, quod *Achaeus* in *Thessaliam* rediisse et avitum regnum recuperasse dicitur, (V. quae ex *Pausan.* n. 8. relata sunt) *Aeolicae* gentis (Stammes) pars habebantur. Hoc et quae supra disputata sunt tenenti Tibi jam non amplius obscurus esse potest memoratu dignus ille Strabonis locus, qui L. VIII. p. 333. exstat, quem quum, ut ipsi ex iis, quae modo exposita sunt, lux affertur, ita vel maxime ad ea illustranda ac confirmanda idoneus sit, totum transcribere non piget. *Πάντες οἱ ἐκτὸς ἰσθμοῦ, πλὴν Ἀθηναίων καὶ τῶν περὶ τὸν Παρνασὸν Δωριέων, καὶ νῦν ἔτι Αἰολεῖς καλοῦνται. Οὕτω δὲ τοῦ Αἰολικοῦ ἔθνους ἐπικρατοῦντος ἐν τοῖς ἐκτὸς ἰσθμοῦ, καὶ οἱ ἐντὸς Αἰολεῖς πρότερον ἦσαν, εἶτ' ἐμίχθησαν Ἰώνων μὲν ἐκ τῆς Ἀττικῆς, τὸν Αἰγιαλὸν κατασχόντων, τῶν δὲ Ἡρακλειδῶν, τοὺς Δωριέας καταγαγόντων, ὑφ' ὧν τά τε Μέγαρα ᾠκίσθη καὶ πολλαὶ τῶν ἐν τῇ Πελοποννήσῳ πόλεων. Οἱ μὲν οὖν Ἴωνες ἐξέπεσον πάλιν ταχέως ὑπὸ Ἀχαιῶν, Αἰολικοῦ ἔθνους· ἐλείφθη δ' ἐν Πελοποννήσῳ τὰ δύο ἔθνη τό τε Αἰολικὸν καὶ τὸ Δωρικόν.*

17) Iuvat locos *Herodoteos*, supra passim allatos, hic in unum conferre:

Τὸ Δωρικὸν γένος ἐὸν Ἑλληνικὸν ἔθνος Herod. I, 56.
Τὸ Ἰωνικὸν γένος ἐὸν τοαρχαῖον Πελασγικὸν ἔθνος ib.
Αἰολέες — τοπάλαι καλεόμενοι Πελασγοὶ Id. VII. 95.

Ἀρκάδες Πελασγοί — sic vocat eos tempore, quo, quin jam in *Hellenes* multati sint, dubitare non licet. V. L. I. 146.

Ad §. 8.

1) Apud *Homerum* nulla nec *Macedonum* nec *Macedoniae* mentio exstat, quamquam terram ejusque incolas bene norat. Quae *Diod. Sic.* de *Macedoniae gentis* origine tradit, ignota mihi quidem non sunt, sed mera opinionum commenta haec esse, nemo non videt.

2) *Justin.* Historr. Philipp. L. VII. c. 1.; cf. *Pausan.* IX. 40. —

3) *Herod.* L. VIII. 137 — 39. —

4) *Thucyd.* II. 99.

5) *Coloniam Hellenicam* illuc esse deductam, nec solum vel *Caranum* vel *Perdiccam* cum fratribus novi regni auctores fuisse, quum per se sit verisimillimum — v. quae supra de *Hellenis* et *Aeoli* posteris tradita sunt — tum diserte a *Justino* (l. l.) proditum est. „*Caranus* cum magna multitudine sedes in *Macedonia* responso oraculi jussus quaerere, quum venisset in *Emathiam*," etc. —

6) Est profecto, quod mireris, qui factum sit, ut novo regno *Macedonico*, populis omnibus, qui sub ejus ditionem redacti sunt, *Macedonibus*, cunctae terrae ab iis habitatae *Macedoniae* nomen positum sit, quum nec ii, *inter quos*, nec ii, *a quibus* constitutum est, hoc nomen habuisse, constare videatur. Et quum res explicari omnino non posse videatur, nisi alterutrum ponamus, statuendum erit, *videri* tantum neutrum fuisse, revera vel conditoribus, vel iis, inter quos regnum conditum est, hoc nomen fuisse. Et neutra harum sententiarum ab rationibus idoneis prorsus destituta esse dici potest. Nam si *hanc* Tuam feceris et decreveris eam gentis *Paeoniae* partem, quae *Emathiam* vel saltem hanc *Emathiae* partem coluerit, ubi primum regnum *Macedonicum* fundatum esse narratur, *Macedonibus* sive fortasse *Μακεδνοῖς*

nomen fuisse, ignotum id quidem antiquis scriptoribus et *Homero*, qui gentis universae tantum, non peculiare populi nomen cognitum habuerint — et *Thucydidem* et *Herodotum* hujus sententiae auctores laudare poteris. Nam apud alterum τοὺς *Μακεδόνας αὐτοὺς* commemoratos invenis, quos qui fuerint vix dicere poteris, nisi e *Paeoniarum* nationum numero fuisse sumas; ab altero τῆς *Μακεδονίδος* mentionem illatam vides, qua eam *Emathiae* partem, ubi prima novi regni fundamenta jacta sunt, significatam esse, jam, si quinam fines hujus terrae a scriptore constituti sint, consideraveris, vel maxime probabile Tibi videatur necesse est. Et ad confirmandam sententiam, partem terrae, cui postea toti *Macedonia* nomen factum est, simile huic nomen, *Μακέτα*, jam antiquis temporibus habuisse, excitare poteris *Eust.* ad *Dionys. Perieg.* v. 427; et *Constant.* Porphyr. de Them. L. II. *Them.* II. Sin autem hoc Tibi non placuerit et in alteram sententiam pedibus iveris, idoneum placiti Tui probandi argumentum in *Μακεδνῷ populo* invenies, quem — vel eundem atque *Doricum*, vel saltim intimo cognationis vinculo cum hoc conjunctum — in *Peloponnesum* invasisse *Herodotus* (I. 56. cll. VIII. 43.) auctor est; et non sine ratione contendes, videri propius accedere ad veritatem, eos novo regno nomen fecisse, a quibus, quam eos, inter quos conditum sit.

7) *Elimiotis Liv.* XLV. c. 30. *Elimea id.* XXXI. c. 40. cf. *eund.* XLII. c. 53. et XLIII. c. 21. *Thucyd.* II. 99. Ἐλειμιῶται; Ἐλιμεία πόλις Μακεδονίας· Στράβων ἑβδόμῳ κ. τ. λ. *Steph. Byz.* s. v. — cf. not. 10. — *Ptolemaeus* Ἐλυμιῶται et Ἔλυμα.

8) Cf. *Strabo* VII. p. 3. 25. 6. 7. Στυμφαία s. Τυμφαία V. nott. *Palmer.* et *Casaub. Stymphalis Liv.* XLV. c. 30. Στυμφαλία *Ptolem. Liv.* XXXII. 13. lege: in *Stymphalia* terrae Elimiotidis.

9) *Strabo* L. I. p. 28. — „τοῖς Παίοσι τοὺς ὁμόρους Δόλοπας.“

10) Posuimus: *videri Strabonem Elimiotas inter Illyricas gentes referre*, nam, quamvis dubium esse omnino non possit, quin lectio mss., quam ll. L. VII. p. 326 exhibent: „*Αἰμία* vel *Αἰμία* cum ea, quae *Stephani* auctoritate confirmatur, commu-

tanda sit, omnis tamen locus interpolatus est, ita ut de reliquis quoque terris, quarum ibi mentio facta est, quamvis verisimile sit, pro certo tamen affirmari non possit, *Strabonem* eas in *Illyricarum* numero reposuisse; quod semel hic monuisse satis erit.

11) *Plin.* H. n. IV. c. 10.; *Strabo* l. l. — *Plin.* populus *Eordenses* vocatur, *Strab.* Ἐορδοί, item *Thucyd.* L. II. c. 99; regio Ἐορδία; *Ptolem.* populus Ἐορδεῖοι, sicuti *Polyb.* Exc. L. XVII. c. 19. regio Ἐορδαία. Hunc secutus *Livius Eordaea* et *Eordaei* scripsit — v. XXXI. c. 40 et XLV. c. 30. —

12) Ἡ Δευρίοπος. *Livius* L. XXXIX. c. 53. extr. — „oppidum in *Deuriopo* condere instituit. *Paeoniae* ea regio est prope *Erigonum* (*Strab.* L. VII. p. 327: ὁ Ἐριγών) fluvium, qui ex Illyrico per Paeoniam fluens in Axium amnem editur.“ — *Strabo* l. saepe l. —

13) *Strabo* l. l.; *Plin.* l. l. Noli conturbari, quod *Plin.* postquam „partem ejus (sc. Macedoniae) septentrionalem *Paeonia ac Pelagonia* protegunt a Triballis“ dixit, post, ubi singulas *Paeonias* nationes recenset, inter has *Pelagones* refert. Priori enim loco *Paeonia*, quae tunc proprie dicebatur — cf. quae de *Paeonia Liviana* infra dicta sunt — significata est. — *Livius* (L. XXXIII. c. 19. et XLV. 29.) „*Stobos Paeoniae*“ habet, quam *Pelagoniae* urbem fuisse ex *Ptolemaeo* compertum habemus. — *Strabo* Exc. ex L. VII. f. p. 331 „οἱ γὰρ Παίονες Πελαγόνες ἐκαλοῦντο“ quae verba sic interpreteris velim, ut *parti* gentis *Paeoniae* posteris temporibus *Pelagonibus* nomen datum esse iis declarari statuas. — Ceterum *Pelagoniam* supra *Erigonum* fluvium in utraque *Axii* amnis ripa sitam fuisse verisimile est. — De *Lyncestarum* — sic nomen scriptum exstat ap. *Livium*, consentientibus *Thucydide*, qui (v. c. II. 99.) Λυγκησταί habet, et *Ptolemaeo*; ap. *Strabonem* contra Λυγκισταί legitur, et regionis nomen ap. *eund.* Λυγκιστός, sed jam *Casaubon.* adnotavit, aut Λύγκον esse legendum, quale regionis nomen ap. *Thucyd.* passim, (v. c. IV. 129.) item ap. *Stephan. Byzant.* s. v. et apud *Livium* (*Lyncus* XXVI. 25. XXXI. 33.), aut Λυγκιστίν — *Pelagonibus* finitimorum origine

nihil apud veteres scriptores commemoratum invenio, — nam *Stephan.* qui *Lyncum* urbem *Epiri* fuisse, *Strabone* auctore usus, dicit, falsus est, — nisi quod e numero eorum sunt, quos *Strabo* *Illyricis* adnumerare videtur. (Cf. not. 7.) Verisimillimum est, hujus ut omnium finitimarum regionum incolas antiquos *Paeoniae* gentis partem fuisse. —

14) *Plin.* l. l. Almopii, *Ptolem.* vulgo: *Ἀλμωποί*; *Steph. Byzant.* *Ἄλμωπες* et *Ἀλμώπιοι*, regio *Ἀλμωπία*; *Thuc.* II. 99. *Ἀλμωπία.* —

15) Cf. *Homer.* Il. II. 149. 50. XXI. v. 141. sqq.

16) *Liv.* XL. c. 3: „In *Emathiam*, inquit, quae nunc dicitur, quondam adpellata Paeonia est;“ nec recte tamen, nam *Homero* jam *Emathiae* nomen notum. Cf. Il. XIV. 226. — Cf. not. 43. —

17) *Plin.* l. l. *Thuc.* II. 99. *Edonos* antiquos terrae incolas fuisse perhibet.

18) *Liv.* XLV. c. 29. „*Dardanis* repetentibus *Paeoniam*, quod et sua fuisset et continens esset finibus suis;“ cf. *eund.* c. 30. — V. not. 13.

19) *Thuc.* II. 96 Locus impeditus, quum Mss. lectiones vel maxime varient. Lego cum *Goellero*, quem cf.: *ἀνίστη* (sc. Sitalces) *δὲ καὶ Ἀγριᾶνας καὶ Λαιαίους καὶ ἄλλα ὅσα ἔθνη Παιονικά, ὧν ἦρχε· καὶ ἔσχατοι τῆς ἀρχῆς οὗτοι ἦσαν μέχρι Γραιαίων Παιόνων καὶ τοῦ Στρυμόνος ποταμοῦ, ὃς ἐκ τοῦ Σκομίου ὄρους διὰ Γραιαίων καὶ Λαιαίων ῥεῖ, οὗ ὡρίζετο ἡ ἀρχὴ τὰ πρὸς Παίονας αὐτονόμους ἤδη.* — *Agrianes*, quos ex h. l. in sinistra *Strymonis* ripa habitasse apparet, etiam in altera ejusdem fluvii sub montibus, qui *Macedoniam* a septentrionibus claudunt, domicilia constituta habuisse, ex *Strab.* L. VII. p. 318 intelligitur. — Cf. praeterea *Thuc.* II. 28. —

20) *Herod.* V. 1: *οἱ ἀπὸ Στρυμόνος Παίονες*; c. 13: *εἴη ἡ Παιονίη ἐπὶ τῷ Στρυμόνι ποταμῷ πεπολισμένη.* Nationes, quae hunc tractum colebant, teste eodem scriptore, hae sunt: *Σιροπαίονες, Παιόπλαι, οἱ περὶ τὸ Πάγγαιον οὖρος, Δόβηρες, Ἀγριᾶνες, Ὀδόμαντοι καὶ οἱ περὶ τὴν λίμνην τὴν Πρασιάδα. Odomanti* aliis (*Thuc.* II.

101.; *Plin.* IV. 11.) *Thracia* natio sunt. — Et jam inde ab antiquissimis temporibus *Paeonios* populos hisce regionibus coluisse intelligetur ex iis, quae infra de *Bilhynis* dicenda erunt.

21) *Thuc.* quidem (II. 98.) has hisce populis sedes assignare videtur.

22) *Thuc.* l. l. *Δόβηρος ἡ Παιονικὴ*. Ut ubinam haec urbs ex ejus sententia sita fuerit, cognoscas, totus conferendus est locus. Ab urbe „*Δήβορος*," cujus mentio apud *Ptolemaeum* exstat, diversam fuisse patet, quum hae urbes disjunctissimae sint. —

23) *Herod.* VII. 124. —

24) Nam si *Stephanus Byz. Pallenen* urbem *πόλιν Θράκης* vocat, minime sequitur, ut antiqui urbis vel potius regionis incolae *Thraces* fuerint. Neque quicquam ea re definitur, quod a *Thuc.* peninsula *Χαλκιδικὴ ἡ ἐπὶ τῆς Θρᾳκίας* et incolae *Χαλκιδεῖς οἱ ἐπὶ Θρᾴκης* appellantur. Priscorum incolarum, quum *Graeci* totam terram sub ditionem redegissent, exstincta esse videtur memoria. Cf. tamen *Thuc.* IV. 109. —

25) V. *Thuc.* II. 99.

26) *Κρηστωνικὴ* et *Κρηστωναίη*, *Κρηστωναῖοι* et *Κρηστωνιῆται* ap. *Herod.* VII. 124. 127.; VIII. 116.; I. 57.; *Thuc.* II. 99. *Κρηστωνία.* —

27) *Herod* L. VII. c. 115. — *Livius* etiam inter *Strymonem* et *Nessum Bisaltas* habet, ubi secundum *Herodotum* habitant *Edoni. Herod.* VII. 110. 14.

28) Hoc efficitur, ut mihi quidem videtur, ex L. VII. c. 124. — Adstipulari in horum populorum situ definiendo *Herodoto Thucydidem* (L. II. 99) dixerim, utpote qui *Anthemum*, (de qua regione cf. *Mannertum* T. VII. p. 497.) *Crestoniam* et *Bisaltiam* conjungat. Eodem loco tamen ex ejus sententia *Mygdonia* ab *Axio* ad *Strymonem* usque porrecta videtur.

29) *Plin.* H. n. IV. 11. —

30) *Conon* in Exc. *Photii* cod CLXXXVI. c. 20: „*Οἱ Βισάλται Θρᾳκικὸν ἔθνος, ἀντιπέρα Παλλήνης οἰκοῦντες.*"

31) *Ste-*

31) *Stephan. Byz.* Κρήστων, πόλις Θρᾴκης· ἔοικε δὲ εἶναι ἡ Κρηστώνη παρ' Ἡροδότῳ. Λυκόφρων

'Ορκομοτῆσαι τόν τε Κρηστώνης θεόν.

Legendum esse Κρηστώνη, π. Θ. ἔ. δ. ε. ἡ Κρήστων π. Ἡ —, *Schweighäuserus* jam monuit ad *Herod.* V. 4.

32) *Herod.* I. 57. — Τοῖσι νῦν ἔτι ἐοῦσι Πελασγῶν, τῶν ὑπὲρ Τυρσηνῶν Κρήστωνα πόλιν οἰκεόντων, οἳ ὅμουροί κοτε ἦσαν τοῖσι νῦν Δωριεῦσι καλεομένοισι· οἴκεον δὲ τηνικαῦτα γῆν τὴν νῦν Θεσσαλιῶτιν καλεομένην — κ. τ. λ. Καὶ γὰρ δὴ οὔτε οἱ Κρηστωνιῆται οὐδαμοῖσι τῶν νῦν σφεας περιοικεόντων εἰσὶν ὁμόγλωσσοι, οὔτε κ. τ. λ.

33) *Dionys. Halic.* Antiqu. R. I. c. 29. ubi, *Etruscos* et *Pelasgos* diversi generis fuisse demonstraturus, argumento utitur, petito a diversa amborum populorum lingua ejusque rei *Herodotum* auctorem laudat, cujus verba ita affert, ut loco „Κρηστωνιῆται" „Κροτωνιᾶται" exhibeat, itaque cum in iis, quae antecedunt, loco Κρήστωνα — Κρότωνα legisse pateat.

34) Nuperrime *Niebuhrius*, vir mea laude major, hanc sententiam defendendam suscepit, sed, quod salva ea, quae tali viro debetur, reverentia, dictum sit, argumentis usus, quibus mihi quidem, ut in eandem irem, persuaderi non potuit. Nam

1. quod primo loco ab eo positum est, *Hellanico auctore Pelasgos Crotonem* urbem incolentes genus ducere ex *Thessalia*, *Herodotum* item tradere, urbis a se commemoratae incolas antiquitus in *Thessaliotide* habitasse — verum illud quidem, sed ingenue mihi fatendum est, me quidem non intelligere, quonam jure ex hac re efficiatur, ut locus *Herodoteus* de *Pelasgis* agat, qui in *Italiam* ex Thessalia profecti sint. Hoc quidem cum aliqua veri specie contendi posset, si in nullam aliam terram nisi in *Italiam* ex *Thessalia Pelasgos* immigrasse traditum esset. Quum autem in quamplurimas terras inde exiisse dicantur, equidem non video, quid impediat, quominus statuamus, *Herodoto* placuisse, partem *Pelasgorum Thessalia* ejectorum, in finitimam huic *Macedoniam* ad novas sedes quaerendas abiisse.

2. Verum quidem est, „totam de *Pelasgis* disputationem, quae ab *Herodoto* l. l. instituta est, pluribus ex schedis exulare," sed minime inde collegerim lectionem, quam reliqui codices exhibent omnes, falsam et corruptam, contra *Dionysianam* illam veram et sinceram esse, praesertim quum codicum lectio *Stephani* auctoritate confirmetur, quem idem, quod nos, legisse certissimum est. Nam nisi nostro loco in omnibus *Herodoti* libris nulla ejusmodi urbis mentio exstat.

3. Quodsi *Niebuhrius* dicit: „dem Verdacht, dass Dionysius die Leseart verfälscht habe, ist alles zuwider" — equidem non is sum, qui *Dionysium* consulto locum adulterasse putem; sed quicunque cognitum perspectumque habet, quam parum diligens ac religiosus scriptor sit *Dionysius*, nequaquam fidem excedere concedet, eum, quum *Tyrrhenos* ab *Herodoto* commemoratos videret, pro certo habuisse, nullos alios *Tyrrhenos* significatos esse, nisi *Italiae* incolas illos notissimos, praesertim quum nusquam aliorum mentionem ab *Herodoto* illatam cognosceret, itaque, quum *Crestonis* urbis inter illos positae nullum deprehenderetur vestigium, *Crotonem* legendum esse conjecisse; quam conjecturam eo majore studio et amore amplexus esse putandus est, quo magis locus, si *Croton* in *Tyrrhenis* i. e. *Etruscis* legeretur, ad sententiam, quam probaturus erat, confirmandam aptus videretur.

4. *Niebuhrius* pergit: „Es gab wohl Krestonäer in Thrakien, tief im Lande zwischen Axius und Strymon, allein keine Stadt Kreston. Das waren aber Thraker und die Tyrrhener am Athos, über denen sie wohnten, Pelasger; hier hingegen sind die von Kreston Pelasger und die unter ihnen wohnenden Tyrrhener ein ganz verschiedenes Volk." — Sed tenendum est

   a) *Crestonaeos* minime „tief im Lande," sed proxime *Chalcidicen* peninsulam, ita coluisse, ut nec longo spatio a *Tyrrhenis* istis disjuncti, nec iis finitimi essent. — cf. *Herod.* VII. 124. —

b) In *Crestonaea* urbem *Crestonem* fuisse quum per se sit verisimile, tum vero *Stephani* testimonio evincitur. Nec est quod dicas, hunc, *Herodoti* auctoritate permotum, sumpsisse, urbem hujus nominis in ea regione sitam fuisse; nam verba, quibus utitur, huic opinioni prorsus adversantur, quum eum haesisse demonstrent, num urbs, quam apud *Herodotum* commemoratam invenerat, eadem esset, quam in hac *Thraciae* regione positam fuisse, aliunde compertum habebat; quod dubium diversa, qua *Herodotum* usum esse, vocis forma ortum esse, recte statueris. Et fuisse in *Crestonaeis* urbem sive *Crestonem* sive *Crestonen* etiam *Lycophronis* loco, ab eodem *Stephano* allato, comprobatur, etiamsi *Scholiastae Lycophr.* ad h. l. fidem habeas, cujus mihi quidem minime probatur sententia. — Cf. *Thom. de Pinedo* ad *Stephanum* de urbibus s. v. *Κρήστων*. —

c) *Thraces* fuisse *Crestonaeos* a nemine veterum scriptorum, quod equidem sciam, traditum est. Nam *Stephani* loco nihil efficitur; non majore jure ex eo, *Crestones* urbis incolas *Thraces* fuisse, cogeremus, quam *Pallenes*, quam eodem modo, quo illam, *πόλιν Θρᾴκης* ab eo nominatam esse supra (v. n. 24.) vidimus. Non incolarum origo ac genus, sed urbium situs hac ratione a *Stephano* declaratur, et si *Θρᾴκης πόλεις* has urbes nuncupat, antiquum loquendi usum sequutus est, quem totam terram, cui post *Macedoniae* nomen inditum est, sub communi *Thraciae* nomine comprehendisse infra docebitur.

d) Verissime monuit *Niebuhr.*: „Die Tyrrhener am Athos waren Pelasger," hoc enim et *Thucydidis* (L. IV. c. 109, ubi de locis circa *Athon* montem, quibus *Ἀκτή* nomen erat, haec leguntur: *καί τι καὶ Χαλκιδικὸν ἔνι βραχύ, τὸ δὲ πλεῖστον Πελασγικὸν τῶν καὶ Λῆμνόν ποτε καὶ Ἀθήνας Θυρσηνῶν οἰκησάντων* —) et *Pompon. Melae* (II. c. 2. extr.) testimoniis ita probatur, ut nihil dubii relinquatur. Propterea autem nequaquam ei concedendum

7 *

esse arbitramur, quod addit: „hier sind die von Krestone Pelasger die unter ihnen wohnenden Tyrrhener *ein ganz verschiedenes Volk*" — nam *Herodoti* verbis nihil omnino inesse, quo haec sententia nitatur, non est, quod multis demonstremus. Non repugnant, quominus *Tyrrhenos* hic commemoratos item, ut *Crestonis* incolas, *Pelasgos* fuisse dicamus. Nam ratio, quare illos *Pelasgos-Crestonaeos*, non hos *Pelasgos-Tyrrhenos* in medium producat, in promptu est. Fuerunt enim qui circa *Athon* colebant idem populus, atque qui *Placiam* et *Scylacen* urbes tenebant; ab antiquissimis temporibus conjuncti, easdem semper primum in *Attica*, tum *Lemni* et in vicinis insulis sedes habuerant et, non multis tantum annis ante, quam *Herodotus* libros suos componeret, dispersi, alii regiones circa *Athon* montem, alii *Placiam* atque *Scylacen* urbes occupaverant. Argumentum igitur ex similitudine sermonis *horum Pelasgorum* petitum nullum fuisset. Necesse fuisse, linguas *eorum* populorum *Pelasgicorum* comparari, qui ab antiquissimis temporibus diversis ac disjunctis locis habitaverant, sponte intelligitur; et interfuisse hoc *Herodoti*, iis declaratur, quae ab eo addita sunt: „qui in *Thessaliotide* coluerant" — „qui *Atticae* inquilini fuerant" — quae verba h. l. minime supervacanea esse, sed proprie ad rem pertinere putanda sunt.

5. „Unbefangen betrachtet, lässt es sich gar nicht verkennen, dass Herodot Hellanicus Erzählung vom Zuge der Pelasger über den Hadria nach Spina und Cortona annahm und die fernere Auswanderung der Ueberwältigten nach Athen voraussetzte, so wie er ihren weiteren Zug nach Lemnos und an den Hellespont selbst erzählt." Libere mihi confitendum est, me, quamvis praejudicatis opinionibus non sim impeditus, tamen in hanc sententiam discedere non posse. Nam nullo loco ne levissimum quidem deprehenditur vestigium, ex quo jure colligi possit, *Herodotum Pelasgos* ex *Thessalia*

in *Italiam* profectos esse, vel omnino in *Italiae* incolarum numero *Pelasgos* fuisse compertum persuasumque sibi habuisse; nusquam legimus, eum *Pelasgorum*, quos *Atheniensium* συνοίκους fuisse tradit, origines ex *Italia* repetiisse. Contra longe aliam de his sententiam animo informatam habuisse, eosque ex *Samothrace* in *Atticam* pervenisse videtur sumpsisse. Nam vix dubium esse mihi videtur, quin *Pelasgi*, quos, ejectos ex sedibus, quae muri arcis exstructi praemium ab *Atheniensibus* iis sub *Hymetto* concessae erant, *Lemnum* aliasque terras occupasse tradit, (VI. 137 — 40) iidem sint, quos, alio loco ex *Samothrace* in *Atticam* profectos, *Atheniensium* συνοίκους factos esse narrat — Τὴν οὗτοι, τοίπερ Ἀθηναίοις σύνοικοι ἐγένοντο. — Quapropter, Σαμοθρηΐκην οἶκεον πρότερον Πελασγοὶ quod jam *Reiskium* monuisse video, vel maxime urgendum mihi videtur esse, „si Pelasgos Italiam incolentes intellectos voluisset *Herodotus*, rem non sic nude fuisse loquuturum.“ —

6. Praeterea ego quoque iis assentiendum esse puto, qui vix credibile esse dicunt, *Herodotum* sermonem hominum, qui tam disjuncta oppidula tenuerint, inter se contulisse, quum, quae *Niebuhrius* ad hanc difficulatem tollendam attulit, mihi non satisfecisse, non est quod dissimulem. In quibus, qui tali Viro accidere potuerit miror, ut apertum, quem dicunt, circulum in demonstrando faceret. Nam si in fine disputationis addit: „diese Stelle zeigt genug, dass es ihm (dem Herodot) daran lag, auszumitteln wie sich die Dialekte aus Osten und Westen verhielten“ — nemo non videt id, quod pro argumento sumatur, ipsam rem esse, quae probanda erat. —

35) *Βοττιαία Strabo; Liv.* (L. XXVI, c. 25) Bottiaca; *Thuc.* (II. 99.) *Βοττία, Βοττιαία* (II. 100), *Βοττική* (II. 101); hoc tamen de novis sedibus, quas *Bottiaei*, pristinis ejecti, in peninsula *Chalcidice* occupaverant (Cf. infra n. 46;) *Herod. Βοττιαιΐς* (e. c. VII. 123) — *Populus*: *Βοττιαῖοι*.

36) *Πιερία* Thuc. (II. 99. 100); *Herod.* (VII. 131). — *Strabo* (X. p. 471.).

37) *Herod.* VII. 123. — *ἐπὶ τὸν Ἀξιὸν ποταμὸν, ὅς οὐρίζει χώρην τὴν Μυγδονίην τε καὶ Βοττιαιΐδα· τῆς ἔχουσι τὸ παρὰ θάλασσαν στεινὸν χωρίον πόλις Ἴχναι τε καὶ Πέλλα;* 127. *Ἐπέσχε δὲ ὁ στρατὸς αὐτοῦ στρατοπεδευόμενος τὴν παρὰ θάλασσαν χώρην τοσήνδε· ἀρξάμενος ἀπὸ Θέρμης πόλιος καὶ τῆς Μυγδονίης μέχρι Λυδίεώ τε ποταμοῦ καὶ Ἁλιάκμονος, οἳ οὐρίζουσι γῆν τὴν Βοττιαιΐδα τε καὶ Μακεδονίδα, ἐς τωὐτὸ ῥέεθρον τὸ ὕδωρ συμμίσγοντες.*

38) *Strabo.* Excerpta ex L. VII. p. 330: *Ὅτι μετὰ τὸ Δῖον πόλιν ὁ Ἁλιάκμων ποταμός ἐστιν, ἐκβάλλων εἰς τὸν Θερμαῖον κόλπον· καὶ τὸ ἀπὸ τούτου ἡ πρὸς βοῤῥᾶν τοῦ κόλπου παραλία Πιερία καλεῖται, ἕως τοῦ Ἀξιοῦ ποταμοῦ, ἐν ᾗ καὶ πόλις Πύδνα, εἶτα Μεθώνη καὶ Ἄλωρος πόλις, — εἶτα Ἐρίγων καὶ Λουδίας ποταμοὶ κ. τ. λ. Ἡ μὲν οὖν Πύδνα Πιερική ἐστιν πόλις, ἡ δὲ Ἄλωρος Βοτταϊκή. — Ὁ Ἀξιὸς, διαιρῶν τήν τε Βοττιαίαν καὶ τὴν Ἀμφαξῖτιν γῆν, καὶ παραλαβὼν τὸν Ἐρίγωνα, ἐξίησι μεταξὺ Χαλέστρας καὶ Θέρμης.*

Ἀμφαξῖτιν, cujus alii quoque scriptores mentionem faciunt, inferiorem *Mygdoniae* partem fuisse ex *Herodoto* demonstrari potest. — Cf. praeterea *Strabo* L. IX. p. 442. 3:

Τοὺς — Μάγνητας — νομιστέον τοὺς ἐντὸς τῶν Τεμπῶν ἀπὸ τοῦ Πηνειοῦ καὶ τῆς Ὄσσης ἕως Πηλίου, Μακεδόνων τοῖς Πιερειώταις ὁμόρους, τοῖς ἔχουσιν τὴν τοῦ Πηνειοῦ περαίαν μέχρι θαλάττης κ. τ. λ.

Ptolemaeus: Πιερίας· Λυδίου ποταμοῦ ἐκβολαί. Πύδνα· Ἁλιάκμονος ποταμοῦ ἐκβολαί· Δῖον κολωνία.

39) Cf. supra n. 6 hujus §. —

40) *Thuc.* II. 99. *Τῆς Παιονίας παρὰ τὸν Ἀξιὸν ποταμὸν στενήν τινα καθήκουσαν ἄνωθεν μέχρι Πέλλης καὶ θαλάσσης ἐκτήσαντο.* — — Tenendum tamen est, si hanc *Thucydidis Paeoniam* eandem esse atque *Herodoti Macedonidem* statuas, eos, qui *Μακεδόνας αὐτοὺς* a *Thucydide* nominantur, (cf. n. 6 et 46. huj. §.) in alia terrae, quae postea *Macedonia* vocata est, parte, quam

in *Emathia* s. *Macedonide Herodotea* quaerendos esse, quum aperte horum *Macedonum* terra a *Paeonia* ista discernatur. —

41) V. ll. *Strabon.* n. 38. allatos. —

42) *Plutarch.* in Theseo c. XVI. Fuerunt, *Aristotele* auctore, *Bottiaei* ex posteris Atheniensium illorum, quos ex pacto quotannis in *Cretam Minotauro* immolandos missos esse narrant. (Hos enim, tradit, non esse trucidatos, sed servorum conditionem subire coactos.) Primum *Delphos,* tum in *Japygiam* profecti, tandem in *Thracia* domicilia collocarunt, novo *Bottiaeorum* nomine assumpto. Cf. est cum hac narratione *Strabo* L. VI. p. 282. Pluribus de hac re infra disserendum erit.

42) b. *Thraciis* a *Plinio* (H. n. IV. c. 11.) adnumerari video. —

43) *Justin.* VII. 1. „*Macedonia* ante a nomine regis *Emathionis*, cujus prima virtutis experimenta in illis locis exstant, *Emathia* cognominata est. Hujus sicuti incrementa modica, ita termini perangusti fuere. Populus *Pelasgi,* regio *Paeonia* dicebatur.“ Vulgo quidem non *Paeonia,* sed *Boeotia* h. l. legitur. Quae lectio quin interpolata sit, quum dubitari non possit, *Niebuhrius* „*Bottia*“ scribendum esse conjecit. Mihi vero persuasissimum est, veram esse edit. *Bipont.* lectionem „*Paeonia,*“ quae, quum hac sola editione utar, a quonam profecta sit, nescio. Nam praeterea quod *Livius Emathiam* appellatam esse *Paeoniam* auctor est, (V. n. 16. ad §. 8.) *Herodotea* regionis, in qua regnum Macedonicum conditum sit, definitio *Emathiae* quidem, neque vero *Bottiae* convenire videtur. Hic enim, postquam (L. VIII. c. 137 et 138) quae *Temenidis,* ex *Argis* primum in *Illyridem*, tum in *Macedoniae* superioris regionem profectis, acciderunt, enarravit, c. 139 sic pergit: *ἀπικόμενοι ἐς ἄλλην γῆν τῆς Μακεδονίης οἴκησαν πέλας τῶν κήπων τῶν λεγομένων εἶναι Μίδεω τοῦ Γορδίεω. ἐν τοῖσι φύεται κ. τ. λ. ὑπὲρ δὲ τῶν κήπων οὖρος κέεται Βέρμιον οὔνομα, ἄβατον ὑπὸ χειμῶνος. ἐνθεῦτεν δὲ ὁρμεώμενοι, ὡς ταύτην ἔσχον, κατεστρέφοντο καὶ τὴν ἄλλην Μακεδονίην.* Locus autem, quem designat, quin in *Emathia* situs fuerit, eo minus potest dubitari, quum *Midae* hortos, quorum mentionem factam videmus, ibi fuisse tradantur, ubi postea *Beroea* urbs condita

est, quam *Ptolemaeus Emathiae* adnumerat. — Nec adversatur *Thucydides* L. II. 99., qui a *Temenidis* eam *Macedoniae*, quae postea vocata est, partem, quae ad mare sita est, occupatam esse tradit, et postquam *Pieres* et *Bottiaeos* eos expulisse retulit, sic pergit: *τῆς δὲ Παιονίας παρὰ τὸν Ἀξιὸν ποταμὸν στενήν τινα καθήκουσαν ἄνωθεν μέχρι Πέλλης καὶ θαλάσσης ἐκτήσαντο* etc., qua terra *Emathiam* s. *Emathiae* partem significari vel maxime probabile est. — Cf. quae supra de hac re dicta sunt. — His adde *Plin.* Hist. n. IV. 10. Macedonia *Aemathia* ante dicta. — *A. Gellii* N. A. XIV. c. VI.: quod *Macedonia* (legendum est *Macedonis* V. *Gron.* not. ad h. l.) *Ἠμαθία* — ante dicta sit.

44) *Herodot.* V. 13. — V. infra §. 9. ibique n. 5. et 19.

45) *Apoll.* l. s. l. III. 8. 1. — Quod idem *Μακεδνός* s. *Μακεδών* ab aliis scriptoribus (cf. *Eustath.* Commentar. ad *Dionys. Perieg.* v. 426.: *ὅτι Μακεδόνες λέγονται ἀπὸ Μακεδόνος τοῦ Διός· οἱ δὲ παῖδας Αἰόλου δέκα παραδιδόασιν, ὧν εἷς Μακεδών, φασὶν ἐξ οὗ ἡ Μακεδονία.* Cf. etiam *Steph. Byzant.*: „*Μακεδονία ἡ χώρα ἀπὸ Μακεδονίας τοῦ Διὸς καὶ Θυίας Δευκαλίωνος*, ubi *Μακεδόνος* loco *Μακεδονίας* legendum esse certissimum est. V. *Holsten.* ad h. l.) inter *Aeoli* filios refertur, ea re perturbari noli. Utrumque recte. Altero enim innuitur, antiquissimos terrae incolas fuisse *Pelasgos*, altero eosdem postero tempore, ut ipsius *Graeciae* incolas, conversos esse in *Hellenes*, id quo verissimum est.

46) *Thuc.* II. 99. *Τὴν — παρὰ θάλασσαν νῦν Μακεδονίαν Ἀλέξανδρος ὁ Περδίκκου πατὴρ καὶ οἱ πρόγονοι αὐτοῦ, Τημενίδαι, τοαρχαῖον ὄντες ἐξ Ἄργους, πρῶτον ἐκτήσαντο καὶ ἐβασίλευσαν, ἀναστήσαντες μάχῃ ἐκ μὲν Πιερίας Πίερας, οἳ ὕστερον ὑπὸ τὸ Πάγγαιον πέραν Στρύμονος ᾤκησαν Φάγρητα καὶ ἄλλα χωρία, καὶ ἔτι καὶ νῦν Πιερικὸς κόλπος καλεῖται ἡ ὑπὸ τῷ Παγγαίῳ πρὸς θάλασσαν γῆ· ἐκ δὲ τῆς Βοττίας καλουμένης Βοττιαίους, οἳ νῦν ὅμοροι Χαλκιδέων οἰκοῦσι· τῆς δὲ Παιονίας παρὰ τὸν Ἀξιὸν ποταμὸν στενήν τινα καθήκουσαν ἄνωθεν μέχρι Πέλλης καὶ θαλάσσης ἐκτήσαντο, καὶ πέ-*

ραν Ἀξιοῦ μέχρι Στρυμόνος τὴν Μυγδονίαν καλουμένην, Ἠδῶνας ἐξελάσαντες, νέμονται. Ἀνέστησαν δὲ καὶ ἐκ τῆς νῦν Ἐορδίας καλουμένης Ἐορδούς, ὧν οἱ μὲν πολλοὶ ἐφθάρησαν, βραχὺ δέ τι αὐτῶν περὶ Φύσκαν κατῴκηται· καὶ ἐξ Ἀλμωπίας Ἄλμωπας. Ἐκράτησαν δὲ καὶ ἄλλων ἐθνῶν οἱ Μακεδόνες οὗτοι, ἃ καὶ νῦν ἔτι ἔχουσι, τόν τε Ἀνθεμοῦντα καὶ Κρηστωνίαν καὶ Βισαλτίαν καὶ Μακεδόνων αὐτῶν (?) πολλήν· τὸ δὲ ξύμπαν Μακεδονία καλεῖται. — Quodsi *Thucydides* plerosque earum regionum, ubi primum regnum *Macedonicum* fundatum est, incolas sedibus pulsos esse tradit, hoc non ita intelligendum esse persuasum nobis est, ac si omnes omnino ejecti essent, sed, quod in simili causa fere factum esse in antiquitate videmus, pars, patria relicta, nova domicilia sibi quaesiverunt, alii cum advenis in unius populi corpus coaluerunt. Argumento sunt pristina regionum nomina etiamtum servata, quum pars novi regni facta erant. Verum etiam qui novas in aliis regionibus, vicinis iis quidem, sedes collocaverant, progrediente tempore et ipsi sub *Macedonum* potestatem redacti sunt.

47) *Strabo* I. p. 6. Γνωρίζει δὲ (*Homerus* sc.) καὶ τὸν Ἴστρον, μεμνημένος γε τοῦ Μυσῶν ἔθνους Θρᾳκίου, παροικοῦντος τὸν Ἴστρον. Καὶ μὴν καὶ τὴν ἑξῆς παραλίαν πᾶσαν οἶδε, Θρᾳκίαν οὖσαν, μέχρι Πηνειοῦ· Παίονάς τε ὀνομάζων καὶ Ἄθω καὶ Ἀξιὸν καὶ τὰς προκειμένας τούτων νήσους κ. τ. λ. *Id. ib.* p. 28. Loquitur de *Zephyro*, quem *Homerus* ex *Thracia* spirare dixerat, et poëtam contra *Eratosthenem*, imperitiae eum propter hanc ipsam rem arguentem, defendit. Verba ejus haec sunt: πότερον οὖν τὸν Ζέφυρον ἀγνοεῖ ἀπὸ ἑσπέρας πνέοντα, — ἢ τὴν Θρᾴκην οὐκ οἶδε μὴ προσπίπτουσαν πέραν τῶν Παιονικῶν καὶ Θετταλικῶν ὀρῶν; Ἀλλὰ καὶ ταύτης τὴν ἐφεξῆς κατὰ τοὺς Θρᾷκας εἰδὼς καὶ κατονομάζων τήν τε παραλίαν καὶ τὴν μεσόγαιαν, Μάγνητας μέν τινας καὶ Μαλιεῖς καὶ τοὺς ἐφεξῆς Ἕλληνας καταλέγει μέχρι Θεσπρωτῶν· ὁμοίως δὲ καὶ τοῖς Παίοσι τοὺς ὁμόρους Δόλοπας καὶ Σελλοὺς περὶ Δωδώνην μέχρις Ἀχελῴου· Θρᾳκῶν δ᾽ οὐ μέμνηται περαιτέρω. Quo loco non est quod quicquam mutandum esse cum *Casaubono* censeas. Nam utrumque, et τὰ Παιονικὰ ὄρη et τὰ Θετταλικὰ recte habet. Ex iis enim, quae a scriptore ipso subjecta sunt, pate *Thessalicis*

montibus nomen eum ponere iis, qui *Macedoniam*, quae postea vocata est, a *Thessalia, Paeoniis*, qui eandem ab *Epiro* dividunt, nec est, quod neges, utrumque nomen rei, ad quam significandam adhibitum est, aptum esse et accommodatum. — Cf. praeterea, quae ad illustrandum hunc locum a *Casaubono* tum ex *Scholiasta*, tum ex *Ammiano Marcellino* allata sunt. — Ipse *Strabo* antiquos terrae, cui post *Macedoniae* nomen inditum est, incolas *Thraces* fuisse diserte testatur L. VIII. p. 321, ubi haec leguntur: *οἱ δὲ Θρᾷκες καὶ Ἰλλυριοὶ καὶ Ἠπειρῶται καὶ μέχρι νῦν ἐν πλευραῖς εἰσιν· ἔτι μέν τοι μᾶλλον πρότερον ἢ νῦν, ὅπου γε καὶ τῆς ἐν τῷ παρόντι Ἑλλάδος ἀναντιλέκτου οὔσης τὴν πολλὴ οἱ βάρβαροι ἔχουσι* — quo in loco noli conturbari interpretatione ed. *Casaub.*, cujus auctor veram loci vim minime assequutus est. Verte: „Multo etiam magis prioribus temporibus, quam nunc, quandoquidem ejus, quae hodie citra controversiam est, *Graecia* magnam partem barbari tenent," sc. tunc, priscis illis temporibus i. e. tenebant. Nullo enim alio modo „*ἔχουσι*" si retineas, nec cum praeterito tempore commutandum esse statuas, explicari potest — *Μακεδονίαν μὲν Θρᾷκες καὶ τινα μέρη Θετταλίας, Ἀκαρνανίας δὲ καὶ Αἰτωλίας ἄνω Θεσπρωτοὶ καὶ Κασσωπαῖοι καὶ Ἀμφίλοχοι καὶ Μολοττοὶ καὶ Ἀθαμᾶνες, Ἠπειρωτικὰ ἔθνη.* — Quodsi dictum est non omnino desiderari locos, quibus nomen ac genus *Thracium Homerus Paeonibus* diserte attribuat, — cf. in ejus rei testimonium Il. L. XXIII. v. 808 et L. XXI. v. 139 sqq. —

48) *Strabo* L. IX. p. 441: *Ἐν ταῖς ἀριστεροῖς τοῦ Πόντου κώμη τις καλεῖται Λάρισσα πλησίον τῶν ἄκρων τοῦ Αἵμου.* Cf. quae de *Larissis* urbibus supra disputata sunt §. 6. —

49) Cf. *Strab.* l. memorabilem L. X. p. 471. —

Ad §. 9.

1) *Herod.* VII. 73: *Οἱ Φρύγες, ὡς Μακεδόνες λέγουσι, ἐκαλέοντο Βρίγες χρόνον, ὅσον Εὐρωπήϊοι ἐόντες σύνοικοι ἔσαν Μακεδόσι*

μεταβάντες δὲ ἐς τὴν Ἀσίην ἅμα τῇ χώρῃ καὶ τὸ οὔνομα μετέβαλον ἐς Φρύγας.

Strabo L. VII. p. 295. *οἱ Φρύγες Βρύγες εἰσὶ, Θρᾴκιόν τι ἔθνος; id.* XIII. p. 550. *ὁμοίως δὲ καὶ Βρέγοι καὶ Βρέγες καὶ Φρύγες οἱ αὐτοί.* (Legendum videtur *Βρέγοι καὶ Βρίγες κ. Φρ.* v. *Holsten.* ad *Stephan. Byzant.* p. 76.; — vel rectius fortasse: *Βρέγοι καὶ Βρέγες καὶ Βρίγες* — nisi mavis *Βρύγες*, ut exstat l. modo l. — *καὶ Φρύγες κ. τ. λ.*) *Id.* L. X. p 471., ubi de *Curetibus Magnaeque Matris* cultu non solius *Graeciae* proprio agit, allatis *Aeschyli* versibus, quibus *Cotyos* Deae apud *Edonos* cultus describitur, haec addit: *Ταῦτα — ἔοικε τοῖς Φρυγίοις· καὶ οὐκ ἀπεικός γε· ὥσπερ αὐτοὶ οἱ Φρύγες Θρᾳκῶν ἄποικοί εἰσιν, οὕτω καὶ τὰ ἱερὰ ἐκεῖθεν μετενήνεκται.* Nec tamen omnes ex veterum scriptorum sententia in *Asiam* trajecerunt, sed pars in *Europa* remansit. Nam dubium esse vix potest, quin qui ab *Herod.* L. VII. c. 185. et VI. c. 45. commemorantur *Βρύγοι* iidem sint. Illam autem in *Asiam* migrationem antiquissimis temporibus — ante *Trojana tempora* — factam esse, tum *Strabo* testatur L. XII. p. 472: *τὰ περὶ τῶν Φρυγῶν καὶ Μυσῶν* — i. e. de eorum migrationibus — *λεγόμενα πρεσβύτερα τῶν Τρωϊκῶν ἐστιν.* cll. XIV. p. 680. 1., tum ex *Homero* intelligitur; cf. v. c. Il. XVI, v. 719.

2) Praeter *Strabon.* L. X., praesertim p. 471., cujus loci prima verba modo (n. 1.) transcripsimus, et *Diodor.* L. III. c. 58. 9. cll. V. 49., adeundus est de his rebus *Creuzerus*, qui copiose de iis disseruit in libro notissimo, qui inscribitur: *Symbolik* und *Mythologie* der alten Völker, besonders der Griechen — Vol. I. 29. sqq. et III. 362. 71. sqq. — Etiam hoc dignum est, quod commemoretur, *Midam* illum, qui *Briges* ex *Europa* in *Asiam* traduxisse fertur, *Cononem* (narrat. ap. *Phot.* c. 186) *Orphei* discipulum facere.

3) *Herod.* VII. 74. —

4) *Id.* I. 171. *Ἀποδεικνῦσι δὲ ἐν Μυλάσσοισι Διὸς Καρίου ἱρὸν ἀρχαῖον, τοῦ Μυσοῖσι μὲν καὶ Λυδοῖσι μέτεστι, ὡς κασιγνήτοισι*

ἐοῦσι τοῖσι Καρσί· τὸν γὰρ Λυδὸν καὶ τὸν Μυσὸν λέγουσι εἶναι Καρὸς ἀδελφεούς· τούτοισι μὲν δὴ μέτεστι· ὅσοι δὲ ἐόντες ἄλλου ἔθνεος ὁμόγλωσσοι τοῖσι Καρσὶ ἐγένοντο, τούτοισι δὲ οὐ μέτα.

5) *Herod.* VII. 20: Στόλων, — τῶν ἡμεῖς ἴδμεν, πολλῷ δὴ μέγιστος οὗτος (i. e. ὁ τοῦ Ξέρξεω) ἐγένετο· ὥστε μήτε τὸν Δαρείου τὸν ἐπὶ Σκύθας παρὰ τοῦτον μηδὲν φαίνεσθαι, — μήτε τὸν Μυσῶν τε καὶ Τευκρῶν, τὸν πρὸ τῶν Τρωϊκῶν γενόμενον· οἳ διαβάντες ἐς τὴν Εὐρώπην κατὰ Βόσπορον τούς τε Θρήϊκας κατεστρέψαντο πάντας, καὶ ἐπὶ τὸν Ἰόνιον πόντον κατέβησαν, μέχρι τε Πηνειοῦ ποταμοῦ τοῦ πρὸς μεσαμβρίης ἤλασαν.

6) *Strabo* VII. p. 295.: Οἱ τοίνυν Ἕλληνες τοὺς Γέτας Θρᾷκας ὑπελάμβανον· ᾤκουν δ' ἐφ' ἑκάτερα τοῦ Ἴστρου καὶ οὗτοι καὶ οἱ Μυσοί, Θρᾷκες ὄντες καὶ αὐτοὶ καὶ οὓς νῦν Μυσοὺς καλοῦσιν. Ἀφ' ὧν ὡρμήθησαν καὶ οἱ νῦν μεταξὺ Λυδῶν καὶ Φρυγῶν καὶ Τρώων οἰκοῦντες Μυσοί.

Id. L. XII. p. 571.: Τὴν Ὀλυμπηνὴν Μυσίαν συνεχῆ οὖσαν τῇ Βιθυνίᾳ καὶ τῇ Ἐπικτήτῳ — Phrygiae Epicteto — ἔφη Ἀρτεμίδωρος ἀπὸ τῶν πέραν Ἴστρου Μυσῶν ἀπῳκῆσθαι. p. 572. Καὶ οἱ Λυδοὶ καὶ οἱ Μαίονες, οὓς Ὅμηρος καλεῖ Μῄονας, ἐν συγχύσει πώς εἰσι καὶ πρὸς τούτους καὶ πρὸς ἀλλήλους· ἅτε οἱ μὲν τοὺς αὐτούς, οἱ δὲ ἑτέρους φασί· πρὸς δὲ τούτοις ὅτι τοὺς Μυσοὺς οἱ μὲν Θρᾷκας, οἱ δὲ Λυδοὺς εἰρήκασι· — μαρτυρεῖν δὲ καὶ τὴν διάλεκτον, μιξολύδιον γάρ πως εἶναι καὶ μιξοφρύγιον. Τέως μὲν γὰρ οἰκεῖν αὐτοὺς περὶ τὸν Ὄλυμπον· τῶν δὲ Φρυγῶν ἐκ τῆς Θρᾴκης περαιωθέντων, εἷλοντο τόν τε τῆς Τροίας ἄρχοντα (?) καὶ τῶν πλησίον γῆς· ἐκείνους μὲν ἐνταῦθα οἰκῆσαι· τοὺς δὲ Μυσοὺς περὶ τὰς τοῦ Καΐκου πηγὰς πλησίον Λυδῶν κ. τ. λ.

Tum qui ex *Asia* in *Europam*, tum qui ex *Europa* in *Asiam* trajecisse dicunt, factum hoc ante *bellum Trojanum* diserte docent — V. *Herod.* VII. 20. (n. 5.); *Strabo* XII. p. 572. (n. 1.); — quamquam ex modo, quo apud *Homerum Mysorum* mentionem factam videmus, non sine ratione colligi posse videtur, ex hujus sententia *belli Trojani* tempore *Mysos* nondum in *Asia* coluisse.

7) *Lydos* et *Maeones* — *Μαίονες; Μῄονες* ap. *Homer.*, *Μηίονες* ap. *Herod.* — eosdem fuisse tum ex *Homero*, qui, nulla omnino *Lydorum* mentione facta, *Maeonibus* circa *Tmolum* montem sedes adsignat, (cf. Il. II. 866.), tum aperto *Herodoti* testimonio — L. VII. 74: *οἱ Λυδοὶ Μηίονες ἐκαλεῦντο τοπάλαι· ἐπὶ δὲ Λυδοῦ τοῦ Ἄτυος ἔσχον τὴν ἐπωνυμίην, μεταβαλόντες τὸ οὔνομα·* — probari potest.

8) *Illud* intelligitur ex iis, quae n. 4. ex *Herodoto* transcripta sunt, cll. *Herod.* VII. 74., *hoc* colligi potest ex eo, quod *Strabo* (v. n. 6.) *Mysorum* linguam *μιξολύδιον καὶ μιξοφρύγιον* appellat. —

9) Altera in campo *Caystrio* super *Sardes*, altera prope *Ephesum* sita. V. *Strab.* IX. p. 440; cll. XIII. p. 620. 1.

10) *Herod.* I. 171. *Νομίζουσι αὐτοί, ἑωυτοὺς εἶναι αὐτόχθονας ἠπειρώτας καὶ τῷ οὐνόματι ἀεὶ διαχρεωμένους τῷπερ νῦν.* *Reliqua* v. n. 4. —

11) *Herod.* l. l. *Εἰσὶν — οἱ Κᾶρες — ἀπιγμένοι ἐς τὴν ἤπειρον ἐκ τῶν νήσων, τὸ γὰρ παλαιὸν ἐόντες Μίνω τε κατήκοοι καὶ καλεόμενοι Λέλεγες, εἶχον τὰς νήσους, φόρον μὲν οὐδένα ὑποτελέοντες, ὅσον καὶ ἐγὼ δυνατός εἰμι μακρότατον ἐξικέσθαι ἀκοῇ, οἱ δέ, ὅκως Μίνως δέοιτο, ἐπλήρουν οἱ τὰς νέας. Ἅτε δὴ Μίνω κατεστραμμένου γῆν πολλὴν καὶ εὐτυχέοντος τῷ πολέμῳ, τὸ Καρικὸν ἦν ἔθνος λογιμώτατον τῶν ἐθνέων κατὰ τοῦτον ἅμα τὸν χρόνον μακρῷ μάλιστα. — Μετὰ δὲ τοὺς Κᾶρας χρόνῳ ὕστερον πολλῷ Δωριέες τε καὶ Ἴωνες ἐξανέστησαν ἐκ τῶν νήσων· καὶ οὕτω ἐς τὴν ἤπειρον ἀπίκοντο.* —

Strabo L. XIII. p. 611. (*Τοὺς Λέλεγας*) *τινες μὲν Κᾶρας ἀποφαίνουσι· — Ὅμηρος δὲ χωρίζει·* (Il. K. 428. 9)

Πρὸς μὲν ἁλὸς Κᾶρες καὶ Παίονες ἀγκυλότοξοι
Καὶ Λέλεγες καὶ Καύκωνες δῖοί τε Πελασγοί.

Ἕτεροι μὲν τοίνυν τῶν Καρῶν ὑπῆρξαν. —

Id. XII. p. 572. *Οἱ Κᾶρες, — νησιῶται πρότερον ὄντες, καὶ Λέλεγες, ὥς φασιν, ἠπειρῶται γεγόνασι, προσλαβόντων Κρητῶν κ. τ. λ.*

Id. XIV. p. 661. *Πολλῶν λόγων εἰρημένων περὶ Καρῶν ὁ μάλισθ' ὁμολογούμενός ἐστιν οὗτος, ὅτι οἱ Κᾶρες ὑπὸ Μίνω ἐτάττοντο, τότε Λέλεγες καλούμενοι, καὶ τὰς νήσους ᾤκουν· εἶτ' ἠπειρῶται γενόμενοι πολλὴν τῆς παραλίας καὶ τῆς μεσογαίας κατέσχον, τοὺς προκατέχοντας ἀφελόμενοι· καὶ οὗτοι δ' ἦσαν οἱ πλείους Λέλεγες καὶ Πελασγοί. κ. τ. λ.*

Leleges et *Cares* revera unum eundemque populum fuisse etiam ex eo apparet, quod *Megarenses*, qui *Leleges* fuisse perhibentur, in numero regum antiquorum *Carem* quendam reponebant. V. *Pausan.* L. I. c. 39 extr. *Κληθῆναι οὕτω* (i. e. *Μέγαρα*) *τὴν πόλιν φασὶν* (*οἱ Μεγαρεῖς*) *ἐπὶ Καρὸς τοῦ Φορωνέως ἐν τῇ γῇ ταύτῃ βασιλεύοντος.* Cf. *eund. ib.*, c. 40 extr.; 44. med. —

12) *Hom.* Il. II. v. 867. —

Νάστης αὖ Καρῶν ἡγήσατο βαρβαροφώνων. *Strabo* (L. XIV. p. 661.) quaestionem super ea re instituit, quare *Homerus*, qui nusquam barbarorum mentionem habeat, *Cares* eosque solos *βαρβαροφώνους* appellet. Eam, quae a quibusdam allata sit, causam non esse, quod *Carum* lingua *βραχυτάτῃ* — *Xyland.* conjecit: *βραδυτάτῃ* — sit, quod hoc a vero alienum sit; *ἀλλά*, pergit, *καὶ πλεῖστα Ἑλληνικὰ ὀνόματα ἔχει καταμεμιγμένα, ὥς φησι Φίλιππος ὁ τὰ Καρικὰ γράψας;* itaque ex ejus sententia *τὸ βαρβαροφωνεῖν καὶ τοὺς βαρβαροφώνους δεκτέον τοὺς κακῶς ἑλληνίζοντας.* Quare autem hoc *Caribus* inprimis tribui potuerit, ad hanc rem expediendam aliam, quam nos, ingreditur viam. V. *ips.* l. l. —

15) Sic ap. *Xenoph. Exped. Cyri min.* *Θρᾷκες* absolute positum passim invenitur; *ἡ Θρᾴκη ἡ ἐν τῇ Ἀσίᾳ* v. c. L. VI. c. 2. (vulgo 4.) §. 1.; *Θρᾷκες οἱ Βιθυνοί*, §. 2. — *Scylax* : *Θρᾷκες Βιθυνοί.* — *Thucyd.* *Βιθυνοὶ Θρᾷκες.* *Herod.* *Θρήϊκες.*

16) *Herod.* L. VII. c. 75 de iis haec refert: *οὗτοι διαβάντες μὲν ἐς τὴν Ἀσίην ἐκλήθησαν Βιθυνοί· τὸ δὲ πρότερον ἐκαλέοντο, ὡς αὐτοὶ λέγουσι, Στρυμόνιοι, οἰκέοντες ἐπὶ Στρυμόνι· ἐξαναστῆναι δέ φασι ἐξ ἠθέων ὑπὸ Τευκρῶν τε καὶ Μυσῶν;* cf. VII. 20. (n. 5.) *Strabo* XII. p. 541.: *Οἱ Βιθυνοὶ διότι πρότερον Μυσοὶ ὄντες μετονομάσθησαν οὕτως ἀπὸ τῶν Θρᾳκῶν τῶν ἐποικησάντων Βιθυνῶν τε καὶ*

Θυνῶν, ὁμολογεῖται παρὰ τῶν πλείστων· καὶ σημεῖα τίθενται τοῦ μὲν τῶν Βιθυνῶν ἔθνους τὸ μέχρι νῦν ἐν τῇ Θρᾴκῃ λέγεσθαί τινας Βιθυνούς· τοῦ δὲ τῶν Θυνῶν τὴν Θυνιάδα ἀκτὴν τὴν πρὸς Ἀπολλωνίᾳ καὶ Σαλμυδησσῷ; cf. L. VII. p. 295.

17) *Strabo* L. VII. p. 245. — *Οἱ Φρύγες Θρᾴκιόν τι ἔθνος, καθάπερ καὶ οἱ Μυγδόνες καὶ Βέβρυκες καὶ Μεδοβιθυνοὶ καὶ Θυνοί, δοκῶ δὲ καὶ τοὺς Μαριανδυνούς. Οὗτοι μὲν οὖν τελέως ἐκλελοίπασι τὴν Εὐρώπην, οἱ δὲ Μυσοὶ συνέμειναν;* L. XII. p. 541. *οἱ Βέβρυκες τούτων προεποικήσαντες* — i. e. ante *Mysos*, quibus a *Bithynis* et *Thynis*, postquam cum iis in unum populum coaluerunt, *Bithynis* nomen factum est — *τὴν Μυσίαν Θρᾷκες ἦσαν, ὡς εἰκάζω ἐγώ. Id. ib.* p. 542. *Μαριανδυνοὶ τίνες καὶ πόθεν οὐδὲ εἴρηται, οὐδὲ διαφορὰ ἐθνικὴ περὶ τοὺς ἀνθρώπους* — i. e. *Mariandynos*, *Thynos* et *Bithynos* — *φαίνεται παραπλήσιοι δ' εἰσὶ τοῖς Βιθυνοῖς· ἔοικεν οὖν καὶ τοῦτο Θρᾴκιον ὑπάρξαι τὸ φῦλον;* id quod etiam nominis similitudine confirmatur. *Mariandynos*, *Plin.* (H. n. V. 31.) teste, *Sangarius* fluvius divisit a *Bithynis*. — Ceterum de *Thynis* et *Bithynis* hoc videtur statuendum, ambos populos, intimo cognationis vinculo junctos, postquam in *Europam* trajecti in unum coierunt, commune sibi *Bithynis*, terrae, quam occupaverant, *Bithyniae* nomen posuisse, ita tamen, ut alterum nomen, non omnino antiquatum, partis conjunctorum populorum proprium maneret. Nam et *Plin.* L. V. c. 32 et *Eustath.* ad *Dionys.* Perieg. v. 795. *Thynos* a *Bithynis* distinguunt. Cf. praecipue *Plin.* l. l. —

18) *Strabo* l. l. de iis haec habet: *Τοὺς Καύκωνας, οὓς ἱστοροῦσι τὴν ἐφεξῆς παραλίαν τοῖς Μαριανδυνοῖς μέχρι τοῦ Παρθενίου ποταμοῦ, πόλιν ἔχοντας τὸ Τίειον, οἱ μὲν Σκύθας φασίν, οἱ δὲ τῶν Μακεδόνων τινάς, οἱ δὲ τῶν Πελασγῶν.* Quum vix dubium esse possit, quin hi *Caucones* non diversi fuerint ab iis, qui *Graeciae* partes quasdam tenuisse feruntur, habes jam apertum testimonium, quo recte a nobis *Pelasgicum* genus huic populo supra attributum esse declaratur. Qui *Macedones* eos esse perhibent ab iis, qui pro *Pelasgis* habent, minime dissentire, ex iis, quae supra tradita sunt, intelligitur.

19) *Herod.* V. 13. „*εἴησαν* (*οἱ Παίονες*) *Τευκρῶν τῶν ἐκ Τροίης ἄποικοι.*“ Cf. n. 5.—

20) V. locos *Strab.* supra (n. 6.) allatos. *Teucri* quidem nominatim non commemorantur; attamen neminem, qui loc., qui L. XII. p. 572. exstat, diligenter consideraverit, praeteribit, *Strabonem* sub communi *Mysorum* nomine complexum esse, quos *Herodotus* sejunctos appellat, *Teucros* et *Mysos.*

20) *Strabo* L. XIII. p. 590. *Πολλαὶ ὁμωνυμίαι Θρᾳξὶ καὶ Τρωσίν· οἷον Σκαιοὶ Θρᾷκες τίνες καὶ Σκαιὸς ποταμὸς, καὶ Σκαιὸν τεῖχος, καὶ ἐν Τροίᾳ Σκαιαὶ πύλαι. Ξάνθιοι Θρᾷκες, Ξάνθος ποταμὸς ἐν Τροίᾳ· Ἄρισβος ὁ ἐμβάλλων εἰς τὸν Ἕβρον, Ἀρίσβη ἐν Τροίᾳ· Ῥῆσος ποταμὸς ἐν Τροίᾳ, Ῥῆσος καὶ ὁ βασιλεὺς τῶν Θρᾳκῶν κ. τ. λ.*

21) Nititur haec mea sententia loco *Liviano* L. XLV. c. 30., ubi in nova *Macedoniae* descriptione a Romanis facta *Dardani* repetiisse *Paeoniam* dicuntur, „quod et *sua fuisset* et continens esset finibus suis.“

22) *Strab.* Exc. L. VII. p. 331.: *ὅτι τὴν Σαμοθρᾴκην Ἰασίων καὶ Δάρδανος ἀδελφοὶ ᾤκουν· κεραυνωθέντος δὲ Ἰασίωνος διὰ τὴν εἰς Δήμητρα ἁμαρτίαν ὁ Δάρδανος ἀπάρας ἐκ Σαμοθρᾴκης ἐλθὼν ᾤκησεν ἐν τῇ ὑπωρείᾳ τῆς Ἴδης τὴν πόλιν Δαρδανίαν καλέσας· καὶ ἐδίδαξεν τοὺς Τρῶας τὰ ἐν Σαμοθρᾴκῃ μυστήρια κ. τ. λ.* *Diod. Sicul.* L. V. c. 48; p. 370. Ed. *Wessel.*, ubi de incolis *Samothraces* insulae agit, haec habet: — *λέγουσι παρ' αὐτοῖς ἐκ Διὸς καὶ μιᾶς τῶν Ἀτλαντίδων Ἠλέκτρας γενέσθαι Δάρδανόν τε καὶ Ἰασίωνα καὶ Ἁρμονίαν· ὧν τὸν μὲν Δάρδανον μεγαλεπίβολον γενόμενον καὶ πρῶτον εἰς τὴν Ἀσίαν ἐπὶ σχεδίας διαπεραιωθέντα, τὸ μὲν πρῶτον κτίσαι πόλιν Δάρδανον καὶ τὸ βασίλειον τὸ περὶ τὴν ὕστερον κληθεῖσαν Τροίαν συστήσασθαι καὶ τοὺς λαοὺς ἀφ' ἑαυτοῦ Δαρδάνους ὀνομάσαι· ἐπάρξαι δὲ αὐτόν φασι καὶ πολλῶν ἐθνῶν κατὰ τὴν Ἀσίαν καὶ τοὺς ὑπὲρ Θρᾴκης Δαρδάνους κατοικίσαι.* — *Eust.* Comment. ad *Dionys. Perieg.* v. 520. *ἡ Θρᾳκία Σάμος — ἐλέγετό ποτε Δαρδανία διὰ τὸν Δάρδανον, ὃς ἐν τῷ κατακλυσμῷ διεπορθμεύθη ἐκεῖθεν εἰς τοὺς Τρωϊκοὺς τοπούς.*

23) Res notissima. Praeter alios locos cf. etiam *Eustath.* Comment. ad *Dionys.* Perieg. v. 517.

24) *Dionys. Halic.* I. c. 61. — 25. *Dionysium Pelasgos* ad *Hellenicam* gentem referre notum est. Cf. L. I. c. 17: Ἦν γὰρ δὴ καὶ τὸ τῶν Πελασγῶν γένος Ἑλληνικὸν ἐκ Πελοποννήσου τοαρχαῖον. —

26) *Dionys. Halic.* l. l. Δόντος αὐτῷ (i. e. τῷ Δαρδάνῳ) τὰ χωρία Τεύκρου βασιλέως, ἀφ᾽ οὗ Τευκρὶς τῶν χωρίων ἡ γῆ ἐλέγετο. Τοῦτον δὲ ἄλλοι τε πολλοὶ καὶ Φανόδημος, ὁ τὴν Ἀττικὴν γράψας ἀρχαιολογίαν, ἐκ τῆς Ἀττικῆς μετοικῆσαί φασιν εἰς τὴν Ἀσίαν κ. τ. λ.

27) Cf. *Niebuhr.* R. G. I. p. 35 et p. 196.

28) Ἡ κατὰ Ἁμαξιτὸν τῆς Τρωάδος. *Strabo.* L. IX. p. 440. et L. XIII. p. 620. 1.

29) *Hom.* Il. II. 824 — 27. cll. V. 105; II. 876. 7. —

30) *Hom. Il.* L. II. 825. Τρῶας *Lycios* illos poëta appellat.

31) *Herod.* I. 173: Οἱ Λύκιοι ἐκ Κρήτης τὠρχαῖον γεγόνασι· τὴν γὰρ Κρήτην εἶχον τοπαλαιὸν πᾶσαν βάρβαροι κ. τ. λ.

32) *Apoll.* III. 12. 1.; *Virg.* Aen. III. 104. —

33) *Strabo* L. XIII. p. 605. sqq.

34) V. §. 6. ibique nott. 43—45.

35) *Strab.* L. XIII. p. 627. Esse dicit, qui tradant, τοὺς Κίλικας τοὺς ἐν τῇ Τροίᾳ μεταναστάντας εἰς Συρίαν ἀνῳκισμένους ἀποτέμνεσθαι παρὰ τῶν Σύρων τὴν νῦν λεγομένην Κιλικίαν.

Id. L. XIII. p. 612. (Τῶν Κιλίκων) τῶν μὲν εἰς τὴν Παμφυλίαν ἐκπεσόντων τῶν δὲ εἰς Ἁμαξιτόν. — *Id.* XIV. p. 676. Τῶν δ᾽ ἐν Τροίᾳ Κιλίκων, ὧν Ὅμηρος μέμνηται, πολὺ διεστώτων ἀπὸ τῶν ἔξω τοῦ Ταύρου Κιλίκων, οἱ μὲν ἀποφαίνουσι ἀρχηγέτας τοὺς ἐν τῇ Τροίᾳ τούτων καὶ δεικνύουσί τινας τόπους κἀνταῦθα ὥσπερ ἐν τῇ Παμφυλίᾳ, Θήβην καὶ Λυρνησσόν· οἱ δ᾽ ἔμπαλιν καὶ Ἀλήϊόν τι πεδιὸν κἀκεῖ δεικνύουσι. Cf. *Eund.* XIX. p. 667.

36) *Herod.* VII. 91. Οἱ Κίλικες τοπαλαιὸν Ὑπαχαιοὶ ἐκαλέοντο· ἐπὶ δὲ Κίλικος τοῦ Ἀγήνορος, ἀνδρὸς Φοίνικος, ἔσχον τὴν ἐπωνυμίην.

Ad §. 10.

1) *Dionys. Halicarn.* L. I. c. 17. (*Οἱ Πελασγοὶ*) *πέντε μείναντες αὐτόθι* (i. e. *ἐν Θετταλίᾳ*) *γενεὰς — περὶ τὴν ἕκτην γενεὰν ἐξελαύνονται Θετταλίας ὑπό τε Κουρήτων καὶ Λελέγων, οἳ νῦν Αἰτωλοὶ καὶ Λοκροὶ καλοῦνται, καὶ συχνῶν ἄλλων τῶν περὶ τὸν Παρνασσὸν οἰκούντων, ἡγουμένου τῶν πολεμίων Δευκαλίωνος τοῦ Προμηθέως, μητρὸς δὲ Κλυμένης τῆς Ὠκεανοῦ.* c. 18. *Σκεδασθέντες δὲ κατὰ τὴν φυγὴν, οἱ μὲν εἰς Κρήτην ἀπῆλθον· οἱ δὲ τῶν Κυκλάδων νήσων τινὰς κατέσχον· οἱ δὲ περὶ τὸν Ὀλυμπόν τε καὶ τὴν Ὄσσαν τὴν καλουμένην Ἑστιῶτιν ᾤκησαν· ἄλλοι δὲ εἴς τε Βοιωτίαν καὶ Φωκίδα καὶ Εὔβοιαν διεκομίσθησαν· οἱ δ᾽εἰς τὴν Ἀσίαν περαιωθέντες τῆς περὶ τὸν Ἑλλήσποντον παραλίου πολλὰ χωρία κατέσχον καὶ τῶν παρακειμένων αὐτῇ νήσων ἄλλας τε συχνὰς καὶ τὴν νῦν καλουμένην Λέσβον, ἀναμιχθέντες τοῖς ἐκ τῆς Ἑλλάδος στέλλουσι τὴν πρώτην ἀποικίαν εἰς αὐτὴν, ἄγοντος Μάκαρος τοῦ Κριασίου κ. τ. λ.*

2) *Ἡ νῦν εἰς Ἰαπυγίαν* — sic vulgo legitur; *Casaubon.* *Ἱεράπυτναν, alii Ἱεραπυγίαν* scribendum esse conjecerunt — *συνοικισθεῖσα, ἀφ᾽ ἧς καὶ τὸ ὑποκείμενον πεδίον νῦν Λαρίσσιον καλεῖται.* *Strabo* L. IX. p. 440.

3) *Hom.* Odyss. XIX. v. 175 sqq.

— — — *ἐν μὲν Ἀχαιοί,*
Ἐν δ᾽ Ἐτεόκρητες μεγαλήτορες, ἐν δὲ Κύδωνες
Δωριέες τε τριχάϊκες δῖοί τε Πελασγοί.

4) *Herod.* I. 173. — §. 9. n. 31. —

5) *Diod. Sicul.* V. c. 64. (p. 381. *Ed. Wessel.*) solos *Eteocretenses* antiquissimos *Cretae* incolas eosdemque indigenas fuisse refert. „*Οἱ μὲν γὰρ τὴν Κρήτην κατοικοῦντές φασιν ἀρχαιοτάτους παρ᾽ αὐτοῖς γενέσθαι τοὺς ὀνομαζομένους Ἐτεόκρητας αὐτόχθονας*“ *κ. τ. λ.*

6) *Herod.* I. 171. V. l. supra transcriptum. — Ex *Diod. Sic.* (L. V. c. 84. p. 399. *Ed. Wessel.*) sententia primi *Cycladum* incolae ex insula *Creta* illuc pervenerunt — „*Τῶν Κυκλάδων νήσων τοπαλαιὸν ἐρήμων οὐσῶν, Μίνως — πολλὰς ἀποικίας ἀπέστειλεν ἐκ τῆς Κρήτης, τῶν δὲ Κυκλάδων νήσων τὰς πλείους κατῴκισε*

καὶ τοῖς λαοῖς κατεκληρούχησεν. κ. τ. λ." — post hos *Cares* eas occuparunt — „*Μετὰ δὲ τὴν Τροίας ἅλωσιν Κᾶρες αὐξηθέντες ἐπὶ πλεῖον ἐθαλαττοκράτησαν καὶ τῶν Κυκλάδων νήσων κρατήσαντές τινας μὲν ἰδίᾳ κατέσχον καὶ τοὺς ἐν αὐτοῖς κατοικοῦντας Κρῆτας ἐξέβαλον, τινὰς δὲ κοινῇ μετὰ τῶν προενοικούντων Κρητῶν κατῴκησαν.* — V. infra. —

7) *Strabo.* L. X. p. 445. *Φησὶ δ' Ἀριστοτέλης ἐξ Ἄβας τῆς Φωκικῆς Θρᾷκας ὁρμηθέντας ἐποικῆσαι τὴν νῆσον καὶ ἐπονομάσαι Ἄβαντας τοὺς ἔχοντας αὐτήν.* —*Eust.* ad *Dionys.* Perieg. v. 250: *τὴν Εὔβοιαν Ἀβαντιάδα λέγει ἀπὸ τοῦ ἐν αὐτῇ ἔθνους τῶν Ἀβάντων, Θρᾳκίου ἔθνους, ὥς φησιν Ἀῤῥιανὸς, κληθέντος οὕτως ἀπό τινος Ἀργείου, υἱοῦ Ποσειδῶνος, Ἄβαντος.* —

8) *Strabo* L. V. p. 221: „*Καὶ γὰρ τὴν Λέσβον Πελασγίαν εἰρήκασι.*" Cf. *Id.* L. VI. p. 621. *Plin.* (H. n. V. 31.) item inter antiqua insulae nomina n. „*Pelasgia*" habet. — *Diod. Sicul.* L. V. c. 81. (p. 396. Ed. *Wessel.*) *Ἐρήμου οὔσης αὐτῆς* (i. e. *τῆς Λέσβου*) *πρώτους Πελασγοὺς κατασχεῖν αὐτὴν τοιῷδέ τινι τρόπῳ· Ξάνθος ὁ Τριόπου τῶν ἐξ Ἄργους Πελασγῶν βασιλεύων καὶ κατασχὼν μέρος τι τῆς Λυκίας χώρας, τὸ μὲν πρῶτον ἐν αὐτῇ κατοικῶν ἐβασίλευε τῶν συνακολουθησάντων Πελασγῶν, ὕστερον δὲ περαιωθεὶς εἰς τὴν Λέσβον οὖσαν ἔρημον τὴν μὲν χώραν τοῖς λαοῖς ἐμέρισε, τὴν δὲ νῆσον ἀπὸ τῶν κατοικούντων αὐτὴν Πελασγίαν ὠνόμασε, τὸ πρὸ τοῦ καλουμένην Ἴσσαν ὕστερον δὲ γενεαῖς ἑπτὰ γενομένου τοῦ κατὰ Δευκαλίωνα κατακλυσμοῦ, καὶ πολλῶν ἀνθρώπων ἀπολομένων, συνέβη καὶ την Λέσβον διὰ τὴν ἐπομβρίαν ἐρημωθῆναι. λ. τ. λ.* —

9) *Eustath.* Comment. ad *Dionys.* Perieg. v. 533. de *Chio* haec habet: *Ταύτης οἰκισταὶ Πελασγοί.* *Strabo* XIII. p. 621. *Καὶ Χῖοι δὲ οἰκιστὰς ἑαυτῶν Πελασγούς φασι τοὺς ἐκ τῆς Θετταλιας.*

10) Cf. v. c. *Herod.* V. 26. de *Lemno* atque *Imbro*. *Οὗτος — ὁ Ὀτάνης — εἷλε Λῆμνόν τε καὶ Ἴμβρον, ἀμφοτέρας ἔτι τότε ὑπὸ Πελασγῶν οἰκεομένας;* cf. VI. 137. 40.

11) *Herod.* I. 51. V. n. 19. ad §. 6. — Cf. praeterea *Eustath.* ad *Dionys.* Perieg. v. 517 et 520. „*Ἡ Ἴμβρος Θρᾳκικὴ μέν ἐστι νῆσος, ἱερὰ Καβείρων καὶ αὐτή.*"

12) Cf. de iis *Larcher* Histoire d'Hérodote traduite du Grec. T. VIII. Table Geographique p. 476. 7.

13) *Dionys.* Perieg. v. 533: „*Καὶ Σάμος ἱμερόεσσα, Πελασγίδος ἕδρανον Ἥρης*" — et ad h. l. *Eustath.* — *Strabo* L. XIII. p. 621. V. n. 45. ad §. 6. —

14) *Herod.* VII. 95: *οἱ νησιῶται ἦσαν Πελασγικὸν ἔθνος, ὕστερον δὲ Ἰωνικὸν ἐκλήθησαν.*

Ad §. 11.

1) *Herod.* I. 58: *Τὸ Ἑλληνικὸν ἔθνος — ἀποσχισθὲν μέντοι ἀπὸ τοῦ Πελασγικοῦ ἐὸν ἀσθενὲς ἀπὸ σμικροῦ τεο τὴν ἀρχὴν ὁρμεώμενον, κ. τ. λ.* —

2) *Herod.* I. 57. V. §. 8. n. 32.

3) Locum *Dionys.* v. §. 10. n. 1.; *Herodot.* §. 6. n. 53. —

Berolini, typis Haynianis.

EMENDANDA.

P V. lin. 5 post etiam adde: atque etiam.
- Ib. - 12 pro: posterioris lege: posteriores.
- Ib. - 18 interpunctionis signum post: abjiciendum dele.
- Ib. - 21 pro confirmare lege: conformare.
- VII. - 17 et 20 pro gratum lege: jucundum.
- 4 - 12 post *Αὐσονίαν* adde: s. (sive.)
- 4 - 3 a fine pro 4) lege: 3).
- 5 - 6 a fine pro posta lege: post a. —
- 6 - 1 a fine pro a l.: ad.
- 11 - 6 dele: 4).
- 11 - 9 pro 5) scribe: 4).
- 14 - 15 post possit adde: 3).
- 18 - 8 a f. pro diversae lege: diversa.
- 20 - 9 post Ephorus adde: 2); lin. 14 pro: 2) lege: 3); lin. 17 post Argos dele: 3).
- 21 - 9 a f. pro reliquit lege: relinquit.
- 38 - 10 a f. pro essent lege: erant.
- 38 - 5 a f. post nepotibus adde: repetant.
- 56 - 16 pro Zelejam scribe Zeliam vel Zeleam.
- 64 - ult. pro transgressos lege: transgressas.
- 67 - 9 post *καὶ* adde: *Αὐσονίαν*.
- 69 - 8 a f. lege: *ἥτις νῦν Ἰταλία καλ.* —
- 69 - 5 a f. pro *Σικιλικοῦ* lege *Σικελ.* —
- 70 - 6 post *Ἀντίοχος* adde: *καλεῖσθαι*.
- 71 - 5 a f. pro *Ποσειδονίας* l. *Ποσειδωνίας*.
- 73 - 5 deleatur interpunctionis signum post *ῥήγνυσι*.
- 76 - 8 pro *ἱλεσθαι* lege: *ἑλέσθαι*.
- 76 - 9 pro *ἅπας* lege: *ἅπασι*.
- 78 - 8 pro *ὦλλοι* lege: *ὧλλοι*.
- 78 - 10 pro *μέμνηται* lege: *μεμνήται*.
- 78 - 13 pro *Ἀθηναίοις* lege: *Ἀθηναίοισι*.
- 80 - 1 pro *Ἕμου* lege: *Ἔμου*.
- 80 - 20 pro *ἤ* lege: *ἥ*.
- 81 - 2 pro *ἐξεχώρησι* lege: *ἐξεχώρησε*.
- 81 - 20 post *μὲν* adde *καὶ*.
- 81 - 22 pro *Ἀμαξ.* lege: *Ἅμαξ.*
- 81 - 3 a f. pro 22 lege: 21.
- 82 - 14 pro *ἔτυμ.* lege: *ἔτυμ.*

P. 82 lin. 2 a f. pro ἐπωνομασίαν lege: τὴν ὀνομασίαν.
- 83 - 9 pro scisscit. lege: sciscit.
- 83 - 18 deleatur comma post οἴκεεν et semicolon post habere lin. 7 a. f.
- 87 - 15 deleatur interp. signum post vidissem.
- 87 - 19 et 22 pro καλευμένην lege: καλεομένην.
- 87 - 19 pro Ἀχατὴν lege: Ἀχαιτὴν.
- 87 - 23 pro ἐπιδεξ lege: ἐκδεξ.
- 89 - 4 a f. pro Ἀθηναιῶν lege: Ἀθηναίων.
- 89 - 4 a f. pro 485 lege: 383.
- 90 - 2 a f. pro portibus lege: partibus.
- 91 - 6 a. f. post δ'ἐν adde: τῇ.
- 91 - 10 a. f. pro τὴς lege: τῆς.
- 91 - 13 a f. post Ἀθηναίων adde: καὶ Μεγαρέων.
- 92 - 3 a f. pro eam — partem lege: ei parti.
- 93 - 17 pro saltim lege: saltem.
- 93 - 26 pro 3. 25. lege: 325.
- 94 - ult. post parenth adde: legitur.
- 95 - 5 a f. pro Στρυμόνας lege: Στρυμόνος.
- 96 - 3 pro Bilhynis lege: Bithynis.
- 99 - 10 post usum esse adde: videbat.
- 101 - 11 comma post quos delendum et post alio loco ponendum est.
- 101 - 11 post alio loco adde: (L. II. c. 51.)
- 101 - 14 verba: Σαμοθρ. — Πελασγοί inter verba: τὴν et οὗτοι (lin 11 et 12.) interponenda sunt.
- 105 - ult pro pate lege: patet.
- 106 - 11 pro πολλὴ lege: πολλὴν.
- 107 - 5 a f. pro Phol. lege: Phot.
- 108 - 20 pro πρὸν lege: πρὸς. —

Si qua alia menda graviora — nam leviora quaedam consulto praetermisi — oculorum aciem effugerint, valetudinis justam et idoneam excusationem habeo. Ceterum Lectores rogatos volo, ne vitio mihi dent inconstantiam, quae tum in interpunctionis signorum usu conspicitur, tum in aliis quibusdam rebus, quae ad recte scribendi artem pertinent. —